

**OPERA
LITURGICA.**

PRAxis
CELEBRANDI MISSAM,

TUM PRIVATAM, TUM SOLEMNEM,

JUXTA

RITUM ROMANUM,

AD MENTEM RUBRICARUM MISSALIS ROMANI ET DECRETORUM S. R. C.
STUDIO ET OPERE


R. D. TOSSANI-JOSEPHI ROMSÉE,

PRESBYTERI, ET QUONDAM SACRORUM RITUUM IN SEMINARIO LEODIENSI
PROFESSORIS.

EDITIO NOVA

A Sacræ Theologiæ Professore accuratè revisa, nec non vitâ Auctoris
variisque notis illustrata.

Tomus Primus.



MECHLINÆ.

P. J. HANICQ, TYPOGR. ARCHIEP. MECHL.

CUM APPROBATIONE. — 1838.



1994/1993
CAA 052 - 1/2
1838

PROPRIÉTÉ DE L'ÉDITEUR.

* Indicat notas, quæ huic editioni accesserunt.



VITA AUCTORIS.

ROMSÉE, TOSSANUS-JOSEPHUS, natus est in Grivegnée prope Leodium, anno salutis 1726. Ab infantia Deum timere didicit; puer enim ingeniosus, et animam bonam sortitus, nihil puerile gessit; sed à Deo præelectus, ut studiosæ juventuti verbo, et exemplo aliquando præesset, in timore Domini in dies cum ætate accrevit, ambulans coram ipso, ejusque gloriam jam tum pro modulo suo promoveri satagens. Studiis humanioribus summa cum laude persolutis, in seminario Leodiensi scientiis sacris eo imbuitur successu, ut inter Bursarios adnumerari meruerit.

Anno 1749 sacerdotio initiatus, totus erat in sacris ritibus et cæremoniis perdiscendis et observandis; nihil enim ad divinum cultum pertinens non dignum arbitrabatur, in quo curam omnem, et diligentiam collocaret. Nec diu optimè instructus delituit, percrebrescente siquidem ejus eruditionis et ingenii famâ, in sacrorum Rituum Professore, in seminario anno 1754 electus est. Omnem tunc operam indefessus adhibuit, ut sacris cæremoniis informaret presbyteratûs candidatos, quorum diebus singulis singulos miro exercebat studio. Ut minùs attentos excitaret, sæpè sæpius repetebat nunc verba Prophetæ: *Solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens, et cum extenderitis manus vestras,*

avertam oculos meos à vobis : et cum multiplicaveritis orationem non exaudiam. Isaiaë cap. I. Tunc Concilii Tridentini doctrinam ob oculos ponebat : *Cæremonias adhibuit pia Mater Ecclesia ex apostolica disciplina et traditione , quo et majestas tanti sacrificii commendaretur , et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa , ad rerum altissimarum , quæ in hoc sacrificio latent , contemplationem excitarentur.* Sess. 22. cap. 5.

Sacerdotes denique diœcesis Leodiensis innumeri , qui non solùm ab eo Ecclesiæ ritus fuerant edocti , sed et ad pietatem sacris exercitationibus antequam ad singulos ordines promoverentur , exculti , exerciti , non tantùm verbo quod ad eos per dies decem latino sermone habebat , sed imprimis virtutum omnium quibus prælucebat exemplo , diu testati sunt , quanto nusquam non æstuaverit zelo , ut servarentur *omnia quæ locuta est Ecclesia ad nos de universis cæremoniis domûs Domini , et de cunctis legibus ejus* , Ezech. cap. 44. ea præsertim quæ ad sacrosanctum missæ sacrificium spectant , ut omni religionis cultu ac veneratione celebraretur. Testantur et hodie opera ejus liturgica , ubique catholicis nota , scilicet :

I. *Praxis celebrandi Missam tum privatam tum solemnem* , opus duobus tomis distinctum , pluries typis impressum , quo nullum , ut filiorum Ecclesiæ pietas , et divini cultûs decor , sacris ritibus et cæremoniis nutriantur instaurenturque , aptius. In eo sacerdotes juniores colligunt , quo se in missæ ritibus plenè perficiant , et ætate provectiores , quo defectus qui sensim non rarò irrepunt , emendent. II. *Praxis divini Officii* , opus in quo omnia , quæ ad divinum officium pertinent , planè exponuntur atque dilucidantur. III. *Sensus litteralis , moralis , ac historicus Rituum et Cæremoniarum Missæ* , liber reverentiam et stu-

dium erga ritus illos venerandos pariens , ac imperans. IV. *Collectio Decretorum Sacræ Rituum Congregationis* , adnotationibus illustrata , è quâ sacramentorum cæremoniarum studiosi possint in muniis ecclesiasticis obeundis tutam agendi normam depromere. Hæc opera et scientiam testantur auctoris , et ejus in Deum pietatem , et studium , quo flagrabat , ut opus Dei non negligenter , sed accuratè et piè fieret juxta mentem Ecclesiæ.

Operam insuper contulit in *Rubricas generales Missarum solemniium , et divinorum Officiorum Ecclesiæ Leodiensis* , in *Rituale ejusdem Ecclesiæ* , in quo universa , præsertim de sacramentis seu conferendis seu suscipiendis , Ecclesiæ disciplina dilucidè exponitur ; denique in *Missalia , Breviaria* , ipso curante ordine digesta , et accuratè Leodii typis edita.

Nec tantùm in sacris cæremoniis illustrandis vitam traduxit , sed et Theologiam docuit alumnos seminarii , thesesque publicas quâ præses defendit 12 Maii , 1762.

Ex operibus suis , et præcipuè ex vivendi norma verè ecclesiastica tantam famam , tantam existimationem collegit , ut omnes singulari honore eum semper prosecuti sint ; amorem ac reverentiam Viro meritissimo conciliabant humilitas , benignitas , mansuetudo , charitas , in pauperes liberalitas , pietas in Deum , cæteræque quibus aliis præluxit virtutes.

Exortis intereà publicis perturbationibus , avitæ fidei tenax , ut rupes inconcussa stetit Vir Apostolicæ sedi addictissimus. Quapropter patriâ cedere coactus , non sine animi dolore à seminario divellitur. Leodium postea redux , ex tunc afflictam vitam in luctu et paupertate traxit ; at semper sibi constans , mirâ in adversis emicuit patientiâ : animum humanis omnibus vicissitudinibus superiorem

consolabatur certa spes de gloriæ cœlestis opulentiâ, thesaurisque numquam exhauriendis, qui momentaneam vitæ brevissimæ paupertatem æternis divitiis compensarent. Accendebant etiam exempla Christi Domini : *Qui propter nos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ nos divites essemus.* 2 Cor. 8. Dulce erat, dum ejus vestigia premeret, odia, persecutiones, exilium, extremamque paupertatem perpeti. Cùm tremulis manibus missæ sacrificium ipse celebrare impediretur, quotidie tamen Sacro piè assistere voluit, ac singulis dominicis, festisque diebus pane cœlesti refocillari. Tandem dierum, et meritorum plenus, piissimam eâ, quâ vixerat tranquillitate et sanctitate, animam Deo reddidit Leodii, die 4 Novembris, anno 1809, ætatis 83, presbyteratûs 60.

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

ANNO millesimo septingentesimo sexagesimo secundo prodiit Opusculum Leodii impressum, cui titulus : PRÆXIS CELEBRANDI MISSAM JUXTA RITUM ROMANUM. Hujus ibidem mox secutæ duæ aliæ impressiones, et quarta Coloniae Allobrogum typis *Balthas. Cajetani* anno 1772, necnon alia Leodii typis *Clem. Plomteux*, sub anno 1779, cui succedit præsens editio anno 1791, novissimè recognita et accuratiùs emendata. Hoc Opus primò præcipitanter, et, ut ita dicam, currente calamo, elaboraveramus in gratiam candidatorum sacre Ordinationis, quorum instructio in cæremoniis ecclesiasticis nobis est demandata, ut nempè rubricarum principiis eruditi modum celebrandi ac ministrandi faciliùs acquirerent, firmiùs tenerent, ac in dubiis occurrentibus tamquàm in directorio manuali lumen invenirent.

Opus hoc leve, quamvis solis clericis diœcesanis oblatum, præter expectationem ad externos longè latèque transivit, quod advertentes maximè doluimus de non adhibitis majori studio et attentione in libro condendo, undè tot altarium ministri mo-

dum, quem in celebratione sacrorum *Mysteriorum* teneant, depromunt; ideoque in hujus neglectus reparationem in præsentī editione id maximè curavimus, ut ab omni mendo purgatum et auctum lucem videret: hinc dubia à personis in re liturgica versatis nobis proposita, absque præventionē discussimus, et quærentes præcisè quæ Dei sunt, ac sacri Ministerii juxta Constitutiones ecclesiasticas, emendanda spontè emendavimus; ubi autem dubia nobis visa sunt infundata, dictis stetimus, rationes in jure fundatas addendo.

Deindè materiam omnem ad trutinam reduximus, eamque denuò contulimus cum rubricis *Missalis romani*, et decretis authenticis *SACRÆ RITUM CONGREGATIONIS*, ac circa difficultates, quæ Legibus nec generalibus, nec particularibus solvuntur, auctores consulimus famosiores, inter quos, *Bartholomæum Gavanti*, *Cajetanum Mariam Merati*, Clericos regulares, et *SACRÆ RITUM CONGREGATIONIS* Consultores, *Joannem Michaëlem Cavalieri*, necnon *Hermannum Janssens*, Ord. FF. Minor. Sac. Theolog. Lect. Jubil.

Horum equidem Opera, cuique ad perfectam in re liturgica eruditionem sufficiunt; ast in illis inconveniens non parvum animadvertere licet: Opera quippè priorum ita sunt diffusa, ut non omnibus detur illa sibi procurandi facultas; si autem in quorundam manibus inveniuntur, non rarò, variis obstantibus curis, ipsis deest tempus illa volvendi: ultimus verò è citatis Auctoribus, uno volumine in-8vo. omnes missæ cæremonias complectens, illas eruditè explanat, sed stylo ita forti et conciso, ut soli doctiores, aliquid in illo percipere valeant.

Ab utroque excessu recedere studuimus in præ-
senti Opere ; consulimus quidem brevitati ; sed
ita cautè , ut nihil prorsùs ex iis quæ ad ex-
actissimam missæ celebrationem spectant , silentio
prætermitteretur , ac aliundè stylum sic temperavi-
mus , ut suâ simplicitate sensum cujusvis rubricæ
primo aspectu , et absque dura mentis applicatione ,
offerat. Super quo , si quis nos culpet , respondebi-
mus cum *S. Augustino* , in expositione Psalmi 138 ,
N. 20 : *Melius est , reprehendant nos Grammatici ,
quàm non intelligant populi.*

Ut autem materia debito ordine tractetur , Opus
dividetur in duos tomos. Primus duas partes contine-
bit. In prima agetur de partibus missæ , tum festivæ ,
tum votivæ , tum de *requiem* , mutationi obnoxiiis ;
de inclinationibus ; crucesignationibus ; junctione et
extensione manuum ; de coloribus paramentorum ,
varioque eorum usu ; ac tandem eam concludemus
dissertatione circa tempus in celebratione impen-
dendum. In secunda , ordinem missæ privatæ se-
quemur , et rubricas omnes brevi explicatione
referemus.

Secundus tomus complectetur cæremonias spe-
ciales missæ solemnis , et in tres partes secabitur.
In prima agetur de officio Subdiaconi : in secunda
de officio Diaconi , et in tertia de officio Sacer-
dotis , sub missa non exposito SS. Sacramento :
his superaddemus officium celebrantis et ministro-
rum , exposito SS. Sacramento ; sub missis de *re-
quiem* , et infra absolutionem defunctorum ; ac tan-
dem dicemus de officio Presbyteri assistentis.

Hoc Opusculum , ut vides , LECTOR BENEVOLE ,
continet quidquid scire debent altarium ministri.
Ast cùm libri scientiam non tribuunt , nisi eos

attentè volventibus, scientiam sacri Ministerii quære ex hoc Opusculo, et ad minimùm semel in anno illud perlege; facilè enim, uti docet experientia, in celebratione sacrosancti missæ sacrificii pravi habitus ex inadvertentia contrahuntur, ad quos reformandos efficax medium est attenta revisio regularum, quæ in altari observandæ præscribuntur: defectu hujus præcautionis plerique deficiunt, et in defectibus deinceps perseverant. Quoad eos, qui Primam missam celebraturi ad altare accedunt, *nescientes officium sacerdotum*, et nihilominùs libris vale dicunt, nemo est, qui non videat eos, quoad vixerint, esse detinendos in ignorantia damnabili et execranda sacrorum rituum, quæ non modò sacri Ministerii contemptum in fidelibus parturit, sed et tales ministros divinâ maledictione reos efficit juxta illud *Jeremiæ cap. 48. 10. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulentè.*

Dignetur supremum Numen, cui soli hæc modica et levia studii et laboris nostri monumenta dicamus, rorem suæ benedictionis in illa diffundere, seu virtute suâ potenti dare, ut ex his fontibus Ecclesiæ ministri in ritibus et sacris cæremoniis debitè eruditi, studiosè, exactè ac fervida cum æmulatione illas observent in perpetuam suî laudem et gloriam. Amen. Amen.

PRAXIS CELEBRANDI MISSAM,

JUXTA USUM ROMANUM.

PARS PRIMA.

DE PARTIBUS MISSÆ MOBILIBUS, SEU VARIATIONI
OBNOXIIS.

ARTICULUS PRIMUS.

*De Psalmo, Judica me Deus, Introitu, Hymno
angelico et Orationibus.*

I. EXCEPTIS missis de dominica et feria infra tempus Passionis, necnon omnibus de *requiem*, in omni missa dicitur psalmus, *Judica me Deus*.

II. Introitus numquam omittitur, nisi in missa sabbati sancti, et in cantata vigiliæ Pentecostes. Tempore paschali in omnibus missis, quæ non sunt de *requiem*, illi adduntur duo *alleluia*, unum tantum antiphonis, quæ *offertorium* et *communio* intitulatur.

III. Hymnus angelicus dicitur in missa conformi officio, quando in matutino dictus est hymnus *Te Deum*, aliàs omittitur: excipe solum missas feriæ quintæ in cœna Domini, et Sabbati

sancti, quæ admittunt *Gloria in excelsis*, licet in officio non dicatur *Te Deum*.

IV. In missa festi duplicis, una tantum dicitur oratio, nisi cum duplici occurrat dominica, feriâ major, vigilia, dies infra octavam aut simplex; tunc enim horum fit commemoratio post orationem diei.

Festa tamen solemnia excludunt commemorationem diei infra octavam et simplicis: hinc in missis primæ et secundæ classis privatis vel solemnibus omittitur commemoratio diei infra octavam, si excipiantur octavæ Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Corporis Christi, quarum commemoratio præscribitur facienda in quavis missa, etiam primæ classis, quæ infra illas celebratur. Pariter simplicis memoria omittitur in omni missa primæ classis, et in cantata secundæ, imò et in simpliciter lecta secundæ classis, modò habeat rationem missæ conventualis, uti non ita rarò accidit in ecclesiis minoribus (1).

In dominicis, diebus infra octavas, semiduplicis et inferioris ritûs, regulariter tres dici debent orationes diversæ pro diversitate temporis: hinc 1.º infra octavam alicujus sancti vel Dedicationis ecclesiæ, secunda oratio est de beata V. M. *Concede*, ut in missis ejusdem votivis; et tertia pro Ecclesia vel pro Papa. 2.º Infra octavas B. V. M. et omnium Sanctorum, secunda dicitur de Spiritu sancto, et tertia pro Ecclesia vel pro Papa. In dominicis tamen infra octavas duæ tantum dicuntur orationes; prima de dominica et secunda de octava, nisi fortè occurreret commemoratio tertio loco facienda.

(1) S. R. C. 14. Febr. 1705.

Pro aliis casibus consule Missale (1), ubi invenies quænam orationes pro variis temporibus sint legendæ secundo et tertio loco, et quando duæ sint tantùm recitandæ.

Quando autem in missa semiduplicis vel alia aliundè completus est numerus orationum à rubricis præscriptus, communes suprâ dictæ omituntur : undè 1.^o tempore Passionis, et infra octavas Paschæ et Pentecostes, quando assignatur secunda tantùm oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa, si occurrat festum simplex, omissâ oratione pro Ecclesia vel pro Papa, dicitur secundo loco oratio de simplici (2). In missa tamen semiduplicis tempore Passionis tres dicuntur orationes : hinc dum in officio fit simplicis commemoratio, in missa secundo loco dicitur oratio feriæ et tertio simplicis ; quando autem non occurrit festum simplex, secunda pariter dicitur de feria, et tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa. Hæc eruuntur ex decreto infrâ citato (3).

2.^o Ab octava Pentecostes usque ad adventum, quando assignantur secunda oratio *A cunctis*, et tertia ad libitum, si occurrant cum semiduplici,

(1) De orationibus tit. IX.

(2) In missis ferialibus à dominica Passionis, usque ad feriam quintam in cœna Domini, et infra octavas Paschatis et Pentecostes... occurrente festo simplici, non est dicenda tertia oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa. S. R. C. 15. Sept. 1736.

(3) In missa solemnî de feria, commemoratio non est faciendâ de sancto semiduplici occurrente, cujus missa pariter cantanda est absque commemoratione feriæ, et in utrisque missis, tempore Passionis, dicenda est tantùm secunda oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa, ut docet Gavantus. In missis autem privatis de festo semiduplici, cùm sit clara dispositio rubricæ de orationibus num. 3, dicenda est secunda oratio de feria, tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa ; de simplici verò faciendâ est commemoratio juxta eandem rubricam, S. R. C. 10. Jan. 1695.

vigilia et simplex, fit commemoratio vigiliæ et simplicis, omittunturque orationes *A cunctis* et ad libitum.

Hæ duæ orationes postremæ quasdam exigunt annotationes. 1.º In oratione *A cunctis* ad litteram N. exprimi debet nomen patroni, non ecclesiæ, cui celebrans est adscriptus, sed illius in qua actualiter celebrat (1). Quòd si patronus sit Angelus, v. g. *Michaël*, vel *S. Joannes Baptista*, aut *S. Joseph*, horum nomina præponenda sunt nominibus Apostolorum, quæ in eadem oratione reperiuntur (2). Si verò patronus sit sanctus *Petrus* vel *Paulus*, aut si ecclesia sit dedicata B. M. V. vel etiam SS. Trinitati, aut SS. Sacramento, ad litteram N. substituendum est nomen sancti vel sanctæ, cujus præcipua memoria vel insignis reliquia habetur in ecclesia. Quòd si neutrum habeat locum, poterit celebrans pro sua devotione unius vel alterius sancti nomen exprimere (3). Idem dic, si patroni ecclesiæ fieret in missa specialis commemoratio, aut si celebraretur in oratorio privato, ubi non est assignatus patronus.

(1) Multùm conveniret, ut in omnibus sacristiis tabula appenderetur, in qua magno caractere inscripta forent nomina patroni ecclesiæ, et Antistitis diocesanani in gratiam extraneorum, ut in oratione *A cunctis*, et in canone debita nomina exprimere sciant.

(2) *De SS. Michaële et Joanne Baptista apertè ita disponit Missale post orationem A CUNCTIS. Quantum ad S. Joseph, sic statuit S. R. C. in oratione A CUNCTIS, et in suffragiis præponendus est S. Joseph Apostolis Petro et Paulo 11. Maii 1743. Idem quoque de omnibus angelis, ubi sunt patroni: Ita Spiridion Talu scribens in decretum suprà citatum. Præpositio autem fieri debet juxta formam sequentem... GENITRICE MARIA CUM BEATIS ANGELIS vel BEATO JOSEPHO ATQUE BEATIS APOSTOLIS TUIS PETRO ET PAULO ET OMNIBUS SANCTIS, etc.*

(3) Guyetus, cap. 29. q. 7.

2.^o Circa orationem ad libitum notari debet, non sic eam vocari, quasi celebrans possit illam pro suo arbitrio omittere, sed quia potest pro sua devotione unam aut aliam, etiam de sancto, eligere è Missali romano (1); sicque illa oratio legi debet de præcepto tertio loco, nec pro illa substitui potest oratio præcepta interdum ab ordinario (2). Hic etiam notandum, quòd si in missa legatur oratio *A cunctis*, non possit tunc assumi pro oratione ad libitum aliqua de *S. Petro* vel *Paulo*, nec de *B. V. M.* aut de patrono ecclesiæ; cum horum jam sit facta commemoratio in oratione *A cunctis*. Si quis celebraret coram persona in dignitate constituta, juxta auctores ex decentia assumi non debet in orationem ad libitum illa, quæ ponitur pro ipso sacerdote, sed potius propria illi personæ, aut saltem communis.

Quamvis, ex dictis, in simplicibus et feriis, tres legantur orationes, uti in semiduplicibus, tamen celebrans in missa de simplici aut feria potest pro libitu duas aut quatuor addere, id est, quinque aut septem orationes legere (3); præponendo orationes de dignioribus aliis de minus dignis: porrò sequitur dignitas orationum: 1.^o de SS. Trinitate, 2.^o de S. Spiritu, 3.^o de Venerabili, 4.^o de Cruce, 5.^o de Beata, 6.^o de Angelis, 7.^o de Sanctis juxta ordinem litaniarum majorum.

(1) Pro oratione ad libitum, non videtur assumenda aliqua oratio pro defunctis, eo quòd hæc foret dicenda ex præscripto rubricarum penultimo, seu secundo loco, cum tamen oratio *A CUNCTIS* absolutè præcipiatur ibi ponenda.

(2) Ita expressis verbis S. R. C. 17. Aug. 1701.

(3) Rub. gen. de orat. tit. 9. n. 12.

Quando assumitur collecta pro defunctis, vel aliqua præcipitur recitanda, semper ponenda est penultimo loco, seu ante ultimam orationem, prout colligitur ex sequenti decreto, in quo et exprimitur, quandonam addi possit prædicta collecta: *In missa privata de festo semiduplici, simplici seu votiva, vel de infra octavam, sive de feria non privilegiata, potest in penultimo loco dici collecta pro particulari defuncto, putà INCLINA vel DEUS QUI NOS PATREM, etc. et similia, sed ob id non est omittenda ulla ex collectis pro tempore assignatis, putà A CUNCTIS vel ECCLESIE (1). Dicitur pro particulari defuncto; adeòque in missis saltem de semiduplici, aut de die infra octavam, non videtur assumenda oratio communis, v. g. *Fidelium. DIXI in missis saltem de semiduplici, etc., quia in missis festi simplicis, aut feriae non privilegiatæ, constat decreto S. R. C. (2), orationem communem pluribus vel omnibus defunctis eligi posse.**

Deindè legi debet oratio *Fidelium* in missa de die vel votiva omnibus feriis secundis per annum, extra tempus quadragesimale et paschale, quando celebratur de simplici, feria, aut resumitur missa dominicæ præcedentis. Item extra adventum, quadragesimam et tempus paschale, primâ die in decursu mensis non impeditâ festo duplici aut semiduplici (3).

In omni missa, quæ cantatur coram Venerabili exposito, licèt in pyxide tantùm, ponitur

(1) S. R. C. 2. Dec. 1684.

(2) S. R. C. 31. Jul. 1665.

(3) Rub. gen. tit. 5. de miss. defunct.

ultimo loco collecta de Venerabili, et in festis primæ et secundæ classis, quando duæ tantum sunt orationes, nempe de festo et de Venerabili, cantatur sub una tantum conclusione (1).

In missis autem ritûs inferioris, vel etiam in solemnibus, in quibus occurrit commemoratio faciendâ, v. g. de dominica, de feria majore, etc. ponitur sub distincta conclusione, et quidem ultimo loco: excipe, nisi occurrat oratio præscripta ab episcopo, pro necessitatibus publicis, v. g. *Deus refugium*; in hoc enim casu præmittitur oratio de Venerabili, utpotè dignior, et ultimo loco dicitur prædicta *Deus refugium*.

In missis privatis coram exposito SS. Sacramento, potest fieri ad libitum celebrantis commemoratio SS. Sacramenti, modò sit expositum ob publicam causam, uti in precibus 40 horarum, et non sit festum primæ vel secundæ classis (2).

Quando præcipitur ab episcopo collecta pro publica causa, dicitur in omni missa festiva et votiva: excipe missas sivè cantatas sivè privatas primæ classis, necnon cantatas secundæ, ad quas pertinent missæ speciales, et 40 horarum

(1) Dum missa cantatur coram SS. Sacramento exposito, debet fieri commemoratio de eodem Sacramento post omnes alias commemorationes de præcepto, et in missis solemnibus tantum primæ et secundæ classis faciendâ est sub unica conclusione. *S. R. C. 25. Jun. 1756.*

(2) Commemoratio de SS. Sacram. in missis privatis poterit fieri, quando ejus expositio fit pro publica causa, etiamsi Sacramentum expositum sit in pyxide. *S. R. C. 7. Maii 1746.*

In missa privata de sancto dup. vel semid. de quo tali die fit officium, potest quidem fieri commemoratio de SS. Sacramento exposito occasione precum 40 horarum, sed omittenda est in festis 1. et 2. classis. *S. R. C. 2. Dec. 1684.*

(1), item omittitur in missis etiam privatis vigiliæ Nativitatis et Pentecostes, dominicæ palmarum, feriæ quintæ in cœna domini, atque sabbati sancti; sunt enim virtualiter primæ classis (2).

Si celebretur missa de sancto, et commemoratio facienda sit de alio, qui habet easdem orationes, pro commemoratione assumendæ sunt diversæ ex aliqua missa de communi illius sancti (3).

Extra casus suprâ relatos, non potest celebrans pro sua devotione in missa aliquam addere orationem, v. g. in primitiis collectam pro ipso sacerdote, aut ratione professionis, vel habitûs religiosi aliquam pro persona vovente, seu sacrum vestitum recipiente.

Superest agendum de modo concludendi orationes, et imprimis regulariter in missa oratio prima absolvitur sub propria conclusione, et deindè omnes aliæ, si dentur, sub secunda. Hoc posito,

1.º Si oratio dirigatur ad Patrem, et in ea nulla fiat mentio secundæ Personæ SS. Trinitatis sub nomine *Filii*, vel *Salvatoris*, *Christi*, *Verbi*, etc., sic concluditur: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.*

* (1) Collecta ab episcopo imperata dicitur in omni missa festiva et votiva: excipe missas sivè cantatas sivè privatas primæ classis, necnon cantatas et conventuales secundæ classis; in privatis verò secundæ classis potest ad libitum celebrantis legi, vel omitti. *S. R. C.* 15. Maii 1819 et 23 Maii 1855.

(2) *Janssens*, tit. IX. de Orat. n. 102.

(3) *Rub. gen.* tit. 7. n. 8.

2.º Si dirigatur ad Patrem, et in principio illius fiat mentio secundæ Personæ, concluditur : *Per eundem Dominum*, reliquum ut suprâ.

3.º Si ad Patrem, et in fine fiat mentio Filii : *Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.*

4.º Si dirigatur ad Filium, et in ea non fiat mentio Patris : *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.*

5.º Si fiat mentio Patris in oratione directa ad Filium : *Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre in unitate*, etc. ut suprâ.

6.º Quando in oratione, quæ suam habet conclusionem, fit mentio Spiritûs sancti, concluditur ut suprâ, sed additur verbum *ejusdem*, dicendo *in unitate ejusdem Spiritûs*, etc. Dictum est *in oratione, quæ suam habet conclusionem* : quia si plures sub una conclusione absolventur orationes, et in una è primis orationibus fieret mentio Spiritûs sancti, non autem in ultima, tunc verbum *ejusdem* in conclusione foret omitendum (1).

ARTICULUS II.

De Graduali, Tractu, Symbolo, Præfatione, etc.

I. GRADUALE dicitur in omni missa, exceptis sabbato sancto, et toto tempore paschali, incipiendo à sabbato in albis inclusivè usque ad festum SS. Trinitatis exclusivè; illius autem loco

(1) S. R. C. 15. Sept. 1736.

tunc dicuntur duo versus et quatuor *alleluia*. Tractus jungitur graduale omnibus dominicis, à septuagesima usque ad Pascha; item omnibus feriis ij. iv. et vj. quadragesimæ, sicut et in omnibus missis festivis et votivis à septuagesima usque ad Pascha. Aliis diebus infra dictum tempus, solùm recitatur graduale; quod et verum est à septuagesima usque ad feriam iv. cinerum, dum infra hebdomadam resumitur missa dominicæ præcedentis; in illa quippè omittendus est tractus.

Prosa, diversa pro diversitate festorum, dicitur infra octavam Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi, et in missa septem dolorum B. M. V. festiva, non in votiva. Quantùm ad prosam SS. Nominis Jesu, dicitur à solis fratribus minoritis ordinis S. Francisci (1).

II. Symbolum, per se loquendo, non legitur in festis semiduplicibus et inferioris ritûs. Dico *per se loquendo*: quia si festum semiduplex incidat infra octavam exigentem symbolum, ratione octavæ, recitatur in missa semiduplicis.

Pro duplicibus hæc traditur regula negativa: M. V. C. non credunt: ibi M. designat martyres, V. virgines et sanctas non virgines, C. confessores Pontifices et non Pontifices; adeòque martyribus, virginibus et confessoribus symbolum non debetur: hæc regula sequentes patitur exceptiones. 1.º Recitatur in missa sanctæ *Mariæ Magdalenæ*. 2.º In

(1) In directorio romano dictorum fratrum singulis annis in missa SS. Nominis Jesu præscribitur recitatio prosæ quæ incipit; LAUDA SION SALVATORIS JESU, NOMEN ET AMORIS, etc. Eamque esse à præfatis recitandam insinuat *Bened. XIV. l. 2. c. 5. n. 18.*

missis confessorum, qui sunt doctores (1), scilicet, SS. Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Thomæ Aquinatis, Bonaventuræ, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, Isidori, Anselmi, Petri Chrysologi, et Leonis. 3.º In missa sancti vel sanctæ, cujus in ecclesia, ubi festum celebratur, insignis conservatur reliquia (2), *putà caput, brachium, crus aut alia pars corporis, in qua passus est martyr, modò sit integra et non parva, et legitimè ab ordinariis approbata* (3). 4.º In missa anniversarii dedicationis ecclesiæ, ubicumque celebretur; pariter et patroni primarii (non secundarii) (4) loci; idque per totam illius octavam, sicut et in missis sanctorum festivis, quæ pendente dictâ patroni octavâ, vel quâvis aliâ, cui debetur symbolum, celebrantur.

Sed quid si missa infra octavam patroni celebretur extra locum, v. g. parochiam? an tunc dicendum symbolum? Imprimis si patronus sit sanctus, v. g. Apostolus, cujus missæ, etiam sepositâ qualitate patroni, debetur symbolum, videtur ubique recitandum in missa de die infra illius octavam; aliud esset, si extra locum celebraretur de festo duplici vel semiduplici in octavam incidenti. Secundò, si patronus sit sanctus, v. g. martyr, confessor, etc. cujus missæ, sepositâ qualitate patroni, non debetur symbolum, non est recitandum extra locum; idque innuunt rubricæ generales missalis

(1) Habentes non solùm octavam resp. IN MEDIO ECCLESIE, sed et Ant. O Doctores ad Magnificat. Ita Cavalieri ex Guyeto.

(2) S. R. C. 1. Dec. 1741.

(3) S. R. C. 8. Aprilis 1628.

(4) S. R. C. 2. Dec. 1684.

romani (1), ubi habetur: *In festis principalibus ordinum et per eorum octavas in ecclesiis tantum ordinis dicitur credo.*

Ast difficultas est jam quid per patronum loci intelligatur? Juxta decretum S. R. C. (2) intelligitur patronus regni, provinciæ, diœcesis, patriæ, civitatis, oppidi, quibus adjungi possunt et pagi: hinc ecclesiæ parochiales intrâ civitatem vel oppidum, ubi colitur aliquis sanctus, ut patronus totius civitatis vel oppidi, habent equidem titulum ecclesiæ, sed non patronum loci. Idem dicendum de ecclesiis in aliquo pago subditis ecclesiæ parochiali. Hoc posito fluunt sequentes resolutiones.

1.º In diœcesi Leodiensi, infra octavam *S. Lamberti* illius patroni principalis, symbolum est recitandum infra totam octavam ab incolis dictæ diœcesis, modò intrâ illam celebrent, et hoc verum est tam de missa patroni quàm de sanctis infra octavam occurrentibus; celebrantes verò extra diœcesim, symbolum omittere tenentur.

2.º In festo *S. Joseph*, patroni hujus patriæ, incolæ celebrantes intrâ ejus terminos, tenentur in Missa illius legere symbolum; extra verò debent illud omittere.

3.º Infra octavam *S. Huberti*, patroni civitatis Leodiensis, incolæ civitatis intrâ mœnia celebrantes, in missa debent symbolum recitare, et extra omittere, nempè finitâ octavâ omnium SS., ratione cujus per accidens dici debet.

4.º In die festo et sub octava tituli ecclesiæ parochialis vel capellæ publicæ, verbo, omnium eccle-

(1) Tit. 11. De symbolo.

(2) 13. Sept. 1642.

siarum, quarum festum tituli non observatur quoad forum, seu obligationem missæ, et vacandi ab operibus servilibus, non est dicendum symbolum in missa, quæ celebratur extra ecclesiam tituli, licet in districtu illius, v. g. in oratorio sito intrâ limites parochiæ (1). Excipe semper ex antè dictis, nisi titulus sit Sanctus, cujus missæ, sepositâ qualitate patroni, symbolum debetur, ut *S. Michaël*, *S. Maria Magdalena*, apostolus, etc.; in hoc enim supposito, si missa celebretur de dictis sanctis, infra octavam eorum, in ea legi debet symbolum, ubicumque legatur. Si verò infra octavam eorundem fiat officium de sancto, v. g. confessore, in hujus missa licet fiat commemoratio patroni, v. g. Apostoli extra ecclesiam propriam, seu tituli, non est legendum symbolum: quia missæ confessoris non debetur symbolum, nec ratione sui, nec ratione loci.

5.º In die festo patroni, qui colitur à populo quoad obligationem missæ, et abstinendi ab operibus servilibus, ut in pagis, symbolum est recitandum, non modò in ecclesia parochiali, sed in toto districtu, v. g. in capellis intrâ confinia parochiæ sitis: quia dictum festum non afficit præcisè ecclesiam parochialem, ut in casu numeri præcedentis, sed totum parochiæ districtum, seu locum; adeoque cum in omnibus parochiæ confi-

(1) In die *S. Laurentii* Titularis alicujus ecclesiæ cathedralis, vel matricis nullius diœcesis, non est recitandum symbolum Apostolorum (*meliùs Constantinop.*) in ecclesiis ejusdem loci, sed tantùm in ecclesia propria. S. R. C. 23. Mart. 1709. Quis sit titulus ecclesiæ, et quomodò differat à patrono, vide in *Praxi divini officii*, art. 21.

niis missa sit festiva, et verè patroni, symbolum ibidem exigit.

Sed quid, dum infra octavam patroni, missa legitur extra ecclesiam, v. g. parochialem, sed intrà illius confinia? Videtur in ea *Credo* non esse dicendum: quia post diem festi, officium reducitur ad solam ecclesiam parochialem; sic ut ampliùs non afficiat districtum; adeoque est casus numeri præcedentis. Alia, quæ spectant ad officium patroni, seu tituli, latiùs vide tom. 3. Praxis divini officii, art. 21.

Quoad extraneos, dum celebrant in ecclesia, ubi fit octava patroni, seu tituli, causâ conformitatis legere possunt symbolum in missa festiva, quamvis discordi officio loci (1).

Tandem *symbolum in missa solemnè potest decantari in illa ecclesia, ubi altare est erectum sub invocatione alicujus sancti, ratione concursus* (scilicet specialis populi) *ad præscriptum rubricarum, licèt de eo fiat officium sub ritu semiduplici* (imò licèt de eo non fiat officium) *ut pro festo S. Antonii de Padua declaravit S. R. C.* (2).

III. Circa præfationem sciendum, quòd, dum missæ assignatur præfatio propria, hæc semper sit legenda, alioquin communis, vel quadragesimalis, vel paschalis, aut de octava, prout missa carens propriâ, iis respectivè temporibus celebratur. Notandumque hìc novo *Clem. XIII. Decreto* (3), omnibus dominicis extra tempus quadragesimale aut paschale, esse legendam præfationem

(1) *Janssens*, p. 1. tit. IX. n. 73.

(2) 1. Aprilis 1661.

(3) Januarii 1759.

de SS. Trinitate, nisi in illis dominicis incidat octava vel festum habens propriam.

IV. Ubi in missa accidit variari *communicantes* et *hanc igitur oblationem*, exprimitur sufficienter in missali; adeoque ibidem tantum attendatur (1).

V. *Ite missa est*, pars est etiam variabilis juxta sequentem regulam: quando in missa dicitur

(1) In editionibus anterioribus hujus operis desiderabamus emendationem duorum locorum missalis romani; nempe ut in *communicantes* Pentecostes loco *innumeris linguis* poneretur *igneis linguis*, prout fert editio Vaticana anni 1755 et 1742, necnon rationale *rubei* pag. 48. Item ut in benedictione thuris ad offertorium missæ loco *Michaëlis* substitueretur *Gabriëlis*. Cum autem demandata esset mihi cura editionis novæ missalis romani, quæsi vi à sacra Rituum Congregatione, num possem dicta loca emendare; ad quod responsum est mihi sequentibus verbis: bina dubia proposita à *D. Romsée*. Sac. Rituum professore, fuerunt jam resoluta die 17. Jan. 1778. à Sac. Congr. Rituum ad relationem eminentissimi cardinalis *Corrini* ponentis in una causa Senarum occasione novæ impressionis missalis in civitate Senarum faciendæ. Proposito enim inter cætera quarto dubio: an in benedictione incensi ante offertorium imprimi deberet *per intercessionem beati Michaëlis*, vel potius *Gabriëlis*, uti volunt multi rubricistæ, Sacra eadem Cong. respondit: *Nihil esse innovandum*. Item ad quintum dubium: an in *communicantes* S. Spiritus poni deberet, *quo Spiritus sanctus innumeris linguis apparuit*, uti dicunt multæ impressiones, vel potius *in igneis linguis*, veluti dicit editio Vaticana sub *Clem. XII*, et uti videtur conformius sacre historię, eadem Congregatio respondit: *Nihil immutandum*. E conspectu itaque dictarum identificarum resolutionum uniformiter emanatarum, dicta Congregatio nullum rescriptum edere censuit super supplici libello prænominati *D. Romsée*, ac super iisdem dubiis jam decisis et resolutis, cum idem *D. Romsée* se conformare debeat dictis resolutionibus Sac. Congr. quibus nihil innovandum et immutandum hac super re decrevit.

hymnus angelicus, de quo art. I. n. 3., semper dicitur *Ite missa est*; quando verò prædictus hymnus omittitur, loco illius dicitur *Benedicamus Domino*.

VI. In fine missæ semper legitur evangelium *S. Joannis*, exceptis dominicis, feriis majoribus et vigiliis, in quibus fit officium de sancto; tunc enim loco illius ponitur proprium de dominica vel de feria, aut vigilia: excipiuntur quoque tertia missa Nativitatis Domini, in qua legitur evangelium Epiphaniæ, et missa privata dominicæ in palmis, in qua dicitur evangelium benedictionis palmarum, ut notatur in missali.

Si contingeret, quod rarò, sed interdum accidit, idem esse evangelium festi et vigiliæ cum eo occurrentis, ne idem evangelium in eadem missa repetatur, recitandum foret in fine evangelium sancti *Joannis*.

ARTICULUS III.

De missis votivis.

I. QUAMVIS missa per se concordare debeat cum officio diei, tamen rubricæ certis diebus, rationabili ex causa, ad quam non pertinet ipsa missæ brevitatis, permittunt celebrari discordem officio, quæ votiva nuncupatur à voto fidelium, qui talem missam requirunt, vel sacerdotum, qui illam legunt. Circa missas votivas, sequentia veniunt præsertim in praxi servanda.

II. Imprimis missas votivas de tempore, v. g. de aliqua dominica vel feria, necnon de Nativitate Domini, Epiphania, Resurrectione, As-

censione, etc. celebrari non posse docet usus (1); undè dum talis petitur, legenda est missa diei currentis cum intentione colendi mysterium, in cujus honorem missa requiritur. Quantum ad votivas de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de Venerabili, etc. docet missale tales celebrari posse. Pariter de omnibus sanctis, de quorum canonizatione constat, missæ votivæ legi possunt ab omnibus, et in omni loco, quando ritus officii currentis, missam discordem non prohibet. Aliud est de sanctis tantummodò beatificatis: si bulla beatificationis afficiat aliquem locum determinatè, in eo tantùm, et non in aliis, licet omnibus celebrare in honorem illorum; si verò afficiat tantùm certas personas, v. g. si concedat religiosis unius ordinis licentiam celebrandi officia et missas de aliquo sancto, hi solùm, aliis exclusis, possunt de eo missam legere.

III. Circa dies, in quibus dici non possunt missæ votivæ; imprimis missa votiva, privata, vel solemnis, sed cantata ob causam privatam, v. g. occasione primitiarum, jubilæi, vestituræ aut professionis in religione approbata (2) et confraternitatis dici non potest in dominicis, duplicibus, necnon infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, feriâ quartâ cinerum, totâ hebdomadâ sanctâ,

(1) Et *Merati* de missis votivis.

(2) *Receptio ad habitum et ad professionem religiosam sub re gravi numerari non potest, ut ex consuetudine cantari possit missa votiva solemnis, etiam de Spiritu sancto in dominicis vel duplicibus, et hic abusus est omninò derogandus, S. R. C. 24. Jul. 1685.*

nec etiam in vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes, aliis autem diebus, dum subest justa ratio, legi et cantari possunt.

Ab hac regula excipitur missa votiva B. M. V. quæ ex consuetudine immemorabili cantatur singulis diebus post primam vel etiam solis sabbatis; cantari quippè potest omni die, exceptis solemnitatibus, per quas intelliguntur, dominica prima adventûs et quadragesimæ, feria quarta cinerum, dominica palmarum cum tota hebdomada sancta, dominica Resurrectionis et Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, dies Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, et omnes dies, in quibus celebratur aliquod festum B. M. V. (1). Hoc autem privilegium non currit pro aliis sanctis, in quorum honorem fundatæ sunt missæ, uti declaravit expressè eadem sacra Congregatio (2); undè in festis duplicibus, dum talis missa occurrit, cantanda est simpliciter de die (3).

Infra octavam alicujus sancti, eo die, quo fit officium de octava, non licet legere missam de eo votivam, sed missa officio conformis legenda est. Aliud foret, si infra octavam fieret offi-

(1) S. R. C. 19. Nov. 1655.

(2) S. R. C. 11. Maji 1754.

* (3) Ab hac regula excipitur etiam missa propria pro sponso et sponsâ, quæ celebrari potest in festo duplici sive minori sive majori per annum, non tamen in festis primæ et secundæ classis, nec diebus dominicis, aliisque festis de præcepto. S. R. C. 20. Decemb. 1785. Nec dici potest diebus festa duplicia excludentibus, adeoque infra octavam Epiphaniæ, vigiliam Pentecostes, etc. Item infra octavam SS. Corporis Christi, in locis saltem ubi privilegiata est ad instar octavæ Epiphaniæ. S. R. C. 20. Apr. 1822.

cium de semiduplici: in hoc casu legi posset votiva cum *Gloria in excelsis*, utpotè semifestiva, sed sine *Credo*. Pariter feriâ quintâ, dum fit officium de venerabili Sacramento, non potest dici missa votiva de eodem Sacramento, omittendo hymnum angelicum, sed dici aut cantari debet missa diei currentis cum dicto hymno.

Sacerdos habens officium duplex, et missam faciens in ecclesia, ubi fit de semiduplici, vel habens officium semiduplex, et missam legens in ecclesia, ubi fit officium duplex, in neutro casu legere potest votivam. *Vide hac super re exceptionem art. 7. seq. n. 3. res. 6.*

Quantum jam ad votivam solemnem ex gravi et publica causa, v. g. in precibus 40. horarum: in ecclesiis, in quibus cantantur duæ missæ, potest cantari omni die, exceptis festis primæ classis, dominicis privilegiatis, id est, majoribus primæ et secundæ classis, feriâ quartâ cinerum, totâ quindenâ Paschatis, infra octavam Pentecostes, necnon vigiliis Nativitatis et Pentecostes, atque die octavâ Epiphaniæ, quibus diebus tantum cantanda est solemniter missa de die, addendo orationes votivæ orationibus missæ sub una conclusione: ita breve *Clementis XI*, quod incipit *Essendo state*, et quod breve licet Romæ tantum obliget, potest tamen laudabiliter ab omnibus servari ad majorem uniformitatem, uti patet ex decreto hic subjecto (1).

(1) Instructio pro oratione XL. horarum Romæ jussu fel. rec. *Clementis XI*. primùm edita extra urbem non obligat; laudandi tamen sunt qui se illi conformare student nisi aliud ab ordinario locorum statutum sit. S. R. C. 12. *Julii* 1749.

* Missa votiva solemnis ex gravi et publica causa can-

Missæ speciales ad obtinendam pluviam, serenitatem, etc. non celebrantur in præcipuis anni solemnitatibus, v. g. dominicâ Paschatis, Pentecostes, etc. Aliis verò diebus, etiam festivis secundæ classis, cantari possunt adveniente episcopi præcepto, (ubi saltem duæ missæ cantantur: in ecclesiis autem, in quibus una tantum missa cantatur, ut communiter accidit in parochialibus, votiva solemnis dici nequit diebus dominicis et festivis (1).) Imo ex brevi *Clem. XI.* suprâ citato omittenda videtur feriâ iv. cinerum, infra quindenam Paschatis, et octavam Pentecostes, in vigiliis Nativitatis et Pentecostes, atque octavâ die Epiphaniæ; proindèque præfatis diebus cantanda est missa diei cum commemoratione

tari non potest in festis duplicibus primæ classis, Dominicis primæ classis, hebdomadâ sanctâ, feriâ quartâ cinerum, et vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes. S. R. C. 27 Martii, 1779. Gardellinus ad hoc decretum asserit, et validis rationibus probat illud regulam tradere servandam in calamitatibus et angustiis, quæ communitatem premunt: preces pro salute Principis, aut totius reipublicæ, gratiarum actiones pro acceptis beneficiis, et similes, quæ non ita frequentes sunt, et dum occurrunt ut plurimum nequeunt differri; longè verò aliud servandum, si sermo sit de missa pro expositione et repositione SS. Sacramenti in oratione XL. horarum celebranda; hæc quippè cantari nequit in dominicis primæ et secundæ classis, in festis sanctorum ejusdem ritûs, feriis IV. cinerum et majoris hebdomadæ, diebus omnibus infra octavam Epiphaniæ, Paschatis et Pentecostes, Vigiliis Nativitatis et Pentecostes. Consule Instructionem Clementis XI. jussu editam, de iis quæ servanda sunt pro expositione SS. Sacramenti in oratione XL. horarum, commentariis illustratam ab Aloys. Gardellino S. R. C. Assessore. Romæ 1825.

(1) In ecclesiis minoribus, ubi unica celebratur missa, non potest omitti illa missa occurrentis festi de præcepto, ut cantetur votiva S. R. C. 22. Aug. 1744.

votivæ sub una conclusione, prout postea dicetur. In duplicibus autem non festivis cantari potest votiva solemnitas 40. horarum, vel specialis, et à fortiori aliis diebus, in quibus occurrunt festa ritus inferioris.

In theopheria, seu in festo votivo SS. Sacramenti, quod celebratur alternatim in parochiis post solemnitatem Corporis Christi, dici nequit missa votiva de Venerabili in dominicis et duplicibus, sed dici debet missa diei cum commemoratione SS. Sacramenti post omnes alias de præcepto; id aperte sonat sequens decretum: *Ubi processio sanctissimi Sacramenti in ejus festo, vel per octavam, eâ quâ decet solemnè pompâ nequiverit haberi, designabit episcopus pro suo arbitrio et prudentia unicuique ecclesiæ aliquam ex sequentibus dominicis, in qua, celebratâ missâ cum commemoratione sanctissimi Sacramenti juxta rubricarum præscriptam formam, solemnè illius processio peragi possit (1).*

Ex his obiter inferes turpiter errare eos, qui in dicta theopheria recitant officium de Venerabili.

Restat ut verbum addamus de missa aurea (2) quæ in nonnullis ecclesiis cantatur feriâ quartâ 4. temporum adventus: hæc cantari potest solemniter in duplicibus etiam majoribus (3), imò

(1) S. R. C. 8. Mart. 1749.

(2) Sic vocatur ob magnificentiam, quacum olim celebrabatur; nam juxta *Buschium* apud *Merati* p. 1. observ. præliminari, n. XXXV. cantabatur maximo cum apparatu, et largis distributionibus, seu præsentibus.

(3) *Janssens*, p. 1. appendice ad tit. 4. n. 16..

festivis, ut in die S. Thomæ, modò in hoc ultimo casu non omittatur missa conventualis, requirit tamen ad hoc S. R. C. antiquam consuetudinem cantandi illam prædicto die, vel saltem concursum populi (1).

ARTICULUS IV.

De ordinatione missæ votivæ.

I. DUM petitur missa de aliquo sancto, vel ille sanctus habet missam propriam in missali vel non: si non habeat, votiva illius est legenda de communi intrà vel extra tempus paschale, pro qualitate temporis, in quo legitur. Si verò propriam habeat, vel eam legendo extra diem festi, servatur veritas in verbis, vel non servatur: si servetur, aut si pauca omittendo vel mutando, v. g. *Solemnitatem vel festivitatem in memoriam vel commemorationem* servari possit, legenda est missa propria ut in ordine missalis; si autem nullatenus servari queat veritas in verbis, vel ad eam servandam magna mutatio fieri debeat, legenda est votiva de communi.

Circa votivas B. M. V. notandum est sequens decretum: « Pro missis ex fundatione, aut ex alia » quacumque causa in cantu (*vel privatim*) celebrandis, sive de assumptione, sive de conceptione B. M. V. extra ejus festos dies, vel » octavas earumdem solemnitatum, assumi nequit propria festivitatis, sed substituenda est » ei una ex quinque votivis B. M. V. quæ ha-

(1) S. R. C. 28. Sept. 1648.

» bentur in missali romano juxta congruentiam
 » temporis (1). » Aliud videtur dicendum de missa
 votiva septem dolorum B. M. V.; assumenda est
 enim propria festi, quæ incipit *Stabat*, omit-
 tendo sequentiam (2). Quantum ad missam au-
 ream, legi debet missa votiva B. M. V. tempore
 adventûs, scilicet *Rorate cæli*, nisi in dictam fe-
 riam incidat festum expectationis partûs, de quo
 tunc missa erit cantanda (3). note

II. Hymnus angelicus semper omittitur in vo-
 tivis privatis et cantatis, quantumvis solemniter,
 ob causam particularem seu privatam: hæc re-
 gula tantum sequentes patitur exceptiones: 1.^o
 Prædictus hymnus dicitur in omnibus votivis An-
 gelorum illius authorum (4). 2.^o In votivis de
 Beata, quæ leguntur aut cantantur in sabbato
 (5). 3.^o In votivis sanctorum, dum leguntur in die
 ipsorum obitûs, sunt enim tunc quasi festivæ (6).

In votivis solemnibus, quæ publicâ autoritate
 celebrantur ex causa gravi, semper dicitur hy-
 mnus angelicus, nisi celebrentur in paramentis vio-
 laceis (7). *est canticum doloris*

III. Circa orationes: In votivis, quæ privatim
 celebrantur, vel etiam solemniter, sed ex causa
 privata tres dicuntur orationes, quarum prima
 votivæ propria, secunda officii, et tertia, quæ

(1) S. R. C. 22. Decem. 1755.

(2) *Merati*, p. 1. tit. 4. n. XXIX. in fine, et plures alii.

(3) *Talu* in decretum S. R. C. sub data 24. Sept. 1648.

(4) Rubr. Gener. tit. VIII.

(5) *Ibidem*.

(6) *Gavantus* et passim rubricistæ.

(7) Rub. Gen. tit. VIII. n. 4.

secundo loco dici debuisset in missa diei. Quòd si in officio tres aut quatuor factæ fuerint commemorationes , v. g. de die infra octavam , de feria et simplici , eædem faciendæ sunt in votiva ; proindèque in casu posito quatuor sunt orationes recitandæ. Hæc regula quasdam etiam patitur exceptiones.

1.º In missa votiva *S. Petri* , secunda oratio est de *S. Paulo* , et tertia officii , vicissimque in votivo *S. Pauli* , secunda est de *S. Petro*.

2.º In votiva de *B. V. M.* secunda est officii , et tertia de Spiritu sancto , sed hæc omititur , quando in officio facta est aliqua commemoratio (1).

Observe hic , in votivis privatis dici posse ad libitum celebrantis quinque aut septem orationes. *Vide art. 1. n. 4.*

In votivis solemnibus ex causa gravi et publica auctoritate celebrandis , ubi cantantur duæ missæ , nempe conventualis et votiva ,

* (1) Missa pro sponso et sponsa est votiva privata , proindèque celebranda sine hymno angelico , et symbolo , cum tribus orationibus ; prima videlicet missæ votivæ ut habetur in fine missalis , secunda officii , et tertia quæ secundo loco in missa diei ; dum scilicet missa dicitur in festo semiduplici , aut inferioris ritûs. S. R. C. 28. Febr. 1818. Dum verò hæc missa dicitur in festo duplici per se tertiam orationem non habente , oratio tertia dicitur prout in festo semiduplici , vel simplici temporis , ritus enim officii diei non immutat naturam missæ votivæ privatæ. Ita Gardellinus ad Decretum suprâ citatum. Tandem si benedicendæ sint nuptiæ diebus in quibus missa votiva pro sponso et sponsa prohibetur , dicenda est missa diei cum commemoratione nuptiarum sub distincta conclusione etiam in festis primæ et secundæ classis , idque primo loco post alias commemorationes à rubrica præscriptas , si quædam occurrant. S. R. C. 20. Apr. 1822.

una tantum dicitur oratio in votiva, nisi expositum sit venerabile Sacramentum, quo casu, oratio de Venerabili unitur sub eadem conclusione orationi votivæ, utpotè habentis ritum primæ classis. Hæc autem unio orationis de Venerabili locum habet in missa speciali de SS. Trinitate, vel de Beata, aut de Spiritu sancto, quando cantatur in gratiarum actionem; adeoque sub una et eadem conclusione, absolvi debent orationes, v. g. de SS. Trinitate, pro gratiarum actione et de Venerabili (1).

Ubi verò una tantum missa cantatur, si, die permittente, cantetur votiva, debet in ea sub distincta conclusione fieri commemoratio duplicis occurrentis, die infra octavam privilegiatam (2), feriæ majoris aut vigiliæ: non tamen diei infra octavam communem, semiduplicis, vel simplicis, quorum memoria omittitur in festis primæ classis, et cujus ritum habet votiva solemniter cantata ob gravem et publicam causam.

Si autem, die non permittente missam votivam, pro quo *vide art. præced.*, cantetur missa de die, tunc orationi missæ diei uniri debet collecta missæ votivæ; idque sub una conclusione, prout eruitur ex missali in fine missæ votivæ

(1) Nec obest quòd, ex antè dictis, uniri tantum debeat collecta de Venerabili orationi missæ, quando duæ tantum sunt orationes, nempe missæ, et ipsa de Venerabili: quia hic oratio de SS. Trinitate et pro gratiarum actione, sumuntur per modum unius orationis.

(2) Octavæ privilegiatæ sunt sequentes, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi.

SS. Trinitatis, et ex decreto infrà citato (1), et deindè fieri tantùm debent commemorationes occurrentes, quæ locum inveniunt in festo primæ classis, scilicet dominicæ, diei infra octavam privilegiam, etc., et ultimo loco de Venerabili, si sit expositum; non autem semiduplicis et inferioris ritûs: quia missa illa de die solemniter cantata occasione rei gravis, acquirit ritum primæ classis, per hoc quòd substituatur missæ speciali, et illius naturam induat.

Quòd si non occurrat commemoratio facienda, oratio de Venerabili est cantanda cum aliis sub una conclusione, v. g. die dominico præcipitur missa specialis pro quacumque necessitate coram exposito SS. Sacramento, in locis, ubi una tantùm cantatur missa, orationi dominicæ adjungetur oratio missæ pro quacumque necessitate, et deindè de Venerabili sub una et eadem conclusione, uti antè dictum de missa votiva SS. Trinitatis in gratiarum actionem.

Alia difficultas moveri potest circa orationes dicendas in missa speciali, quæ præscribitur in gratiarum actionem ubi una tantùm missa celebratur, illaque de die, v. g. de dominica, vel de duplici in ea occurrente.

Si missa cantetur de dominica, orationi dominicæ unienda est per modum unius oratio pro gratiarum actione *Deus, cujus misericordiæ non est numerus*, prætermisâ collectâ missæ SS. Trinitatis, vel S. Spiritûs, aut B. M. V.: quia missa dominicæ in præsentì casu supplet vices missæ SS. Trinitatis, seu aliarum, quæ in missali assi-

(1) S. R. C. 8. Junii 1709.

gnantur pro gratiarum actione. Deindè superaddi debet oratio de Venerabili, si sit expositum SS. Sacramentum, et hæ tres orationes dici debent sub una conclusione *Per Dominum*, etc.

Si verò occurrat in dominica festum duplex, cantatur missa de duplici, et illius orationi adjungitur collecta *Deus, cujus misericordiæ*, sub una conclusione, ac deindè fit commemoratio dominicæ et venerabilis Sacramenti sub secunda conclusione. In missis privatis unio primæ orationis cum alia locum habet 1.º In missa B. M. V. vel S. Spiritûs aut SS. Trinitatis, dum legitur in gratiarum actionem; tunc enim jungitur orationi missæ collecta pro gratiarum actione quæ in missali ponitur post missam SS. Trinitatis.

2.º In collatione ordinum, collectæ sabbati jungitur sub una conclusione oratio pro ordinandis.

3.º In anniversario consecrationis episcopi, quando missa dicitur de festo, orationi illius sub una conclusione additur collecta: *Deus omnium fidelium Pastor*, etc.

IV. Symbolum omittitur in omnibus votivis, quæ privatim leguntur, necnon in cantatis solemniter, sed absque publica authoritate, quales sunt primitiæ, missæ cantatæ causâ professionis religiosæ, aut in cantu fundatæ, etc.

Ab hac lege excipit S. R. C. sequentem casum, nempe si in aliqua ecclesia habeatur aliquod altare erectum in honorem cujusdam sancti, et in die ipsius celebretur missa sollemnis cum concursu populi, symbolum cantari indulget (1).

(1) S. R. C. 1. Apr. 1661.

In votivis verò, quæ cantantur publicâ auctoritate, et ex gravi causa, uti speciales et 40. horarum, semper dicitur symbolum, quando celebrantur cum paramentis non violaceis: si autem cum violaceis, extra diem dominicum, omitti debet.

V. Circa præfationem, quando missæ votivæ propria assignatur, illa est assumenda præ aliis: si autem ei non assignetur propria, et celebretur infra octavam habentem propriam, hæc, nempe octavæ, est assumenda. Quòd si celebretur extra octavam, vel infra aliquam carentem propriâ, legi in ea debet præfatio quadragesimalis, vel paschalis, aut communis, pro ratione temporis.

Quando autem legitur aut cantatur votiva carens præfatione propriâ in festo propriam habente, assumi non potest præfatio festi, sed octavæ, vel de tempore, aut communis; missale enim (1) agens de præfatione missarum votivarum simpliciter ait: *Si verò non habuerint (propriam) dicitur præfatio de tempore, vel octava infra quam contigerit hujusmodi missas celebrari; alioquin præfatio communis; non addit aut de festo currente; adeòque stando verbis rubricæ, dici non potest in tali casu propria festi currentis: hinc etiam resolvit S. R. C. (2) feriâ quintâ, ubi fit officium SS. Sacramenti, et sabbato, immaculatæ conceptionis, si celebretur missa votiva carens præfatione propriâ, in illa dici non debere præfationem de Venerabili aut de Beata, sed communem vel de tempore.*

(1) Rub. gen. tit. XII. n. 4.

(2) S. R. C. 2. Decemb. 1684. et 16. Junii 1708.

Sed quid 1.º si in die dominica celebretur votiva carens præfatione propriâ? In ea legi debet præfatio sanctissimæ Trinitatis, utpotè jam præfatio de tempore.

Quid 2.º si in precibus 40. horarum, vel in casu missæ specialis cantetur missa diei cum collecta missæ specialis, putà B. M. V. sub una conclusione, quænam præfatio est assumenda? Si missa diei præfationem propriam habeat, certò hæc est assumenda; si verò propriam non habeat, communis vel de tempore, aut de octava occurrente, non autem de Beata: ratio hujus est, quòd ob unionem collectæ de Beata orationi missæ, non ideò missa censeatur de Beata, prout patet usu quotidiano juxta quem in festis primæ et secundæ classis collecta de Venerabili orationi missæ festivæ unitur, nec ideò dicitur præfatio propria de Venerabili, sed propria festo, si talem habeat, alioquin communis, vel de tempore aut octava.

VI. Circa alias partes mobiles missæ votivæ dicendum quòd si celebretur infra octavam habentem *communicantes* proprium, illud sit recitandum in votiva. *Ite missa est* autem dicitur juxta regulam priùs traditam, nempe si dictum sit *Gloria in excelsis*, aliàs *Benedicamus Domino*. Quantum ad evangelium *S. Joannis*, semper dicitur in votivis, quamvis in eis fiat commemoratio diei habentis proprium.

ARTICULUS V.

De missis defunctorum.

I. QUATUOR in missali assignantur missæ pro defunctis, è quibus prima dicitur in commemoratione omnium defunctorum, necnon in exequiis, die tertio, septimo, trigesimo, et anniversario summi Pontificis, cardinalium, episcoporum et ex novo decreto S. R. C. sacerdotum, pro quibus ultimis etiam dici potest ea, quæ ponitur secundo loco (1). Ordine secunda legitur in exequiis aliorum clericorum et laïcorum, et tertia in horum die anniversaria. Quarta tandem dicitur per annum, dum exigitur missa pro defunctis extra diem depositionis, tertium, septimum, trigesimum et anniversarium.

Post quartam missam de *requiem*, legitur: *Epistolæ et evangelia superius posita in una missa pro defunctis, dici possunt etiam in alia missa similiter pro defunctis.* Quibus verbis fit celebranti missam quotidianam licentia legendi in ea epistolam et evangelium unius vel alterius missæ præcedentis, aut si velit solam epistolam, retinendo evangelium missæ quotidianæ, vel è contrà solum evangelium, retinendo epistolam. Identidem in missis præcedentibus legere poterit epistolam vel evangelium, aut utrumque ex missa quotidiana. Præsens rubrica videtur formata ex antiquis missalibus, in quibus quatuor epistolæ et evangelia missarum pro defunctis continenti serie sub

(1) S. R. C. 29. Januarii 1752.

una eademque missa referuntur (1). Non obstante tamen hæc rubricâ præstat servare in celebrando missas pro defunctis assignationem earum, prout notatur in capite cujuslibet in particulari, cum Ecclesia profectò sic de illis disposuerit ob quamdam congruitatem. Excipi posset quotidiana, in qua ad acuendam devotionem interdum ex aliis missis epistolæ et evangelia utiliter assumerentur.

II. Circa dies quibus legi possunt missæ de *requiem*; missæ privatæ vel cantatæ extra diem obitûs seu depositionis, tertium, septimum, trigesimum et anniversarium, legi tantum possunt iis diebus, quibus licet legere votivas privatas, pro quo *vide art. III. n. 3.*

Nota tamen hic. 1.º Quòd sacerdos, etiam regularis, habens officium duplex, et celebrans in ecclesia, ubi fit de semiduplici aut ritûs inferioris, non possit legere missam de *requiem*, sed conformem suo officio: si tamen ibi celebrentur exequiæ, potest (2). Pariter si habens officium semiduplex celebret in ecclesia, ubi fit de duplici, tenetur legere missam vel conformem suo officio, vel conformem officio ecclesiæ, juxta regulas articulo VII. tradendas de coloribus paramentorum sacerdotalium.

Nota 2.º quòd in altari, ubi est expositum SS. Sacramentum, licet in pyxide tantum, omni

(1) *Calvalieri*, tom. 3. cap. 10. n. 16.

(2) S. R. C. 29. Jan. 1752. Hoc decreto fit licentia omnibus sacerdotibus, tum sæcularibus, tum regularibus, quodvis officium duplex etiam primæ classis recitantibus, celebrandi in exequiis missas de *requiem*, modò in ecclesia in qua celebrant, tales missæ, v. g. ratione officii semiduplicis, sint licitæ.

tempore prohibeantur missæ de *requiem*, tum privatae, tum solennes. Si autem expositum sit ob publicam causam, uti in precibus 40. horarum, etiam prohibentur in omnibus altaribus ecclesiæ, ubi habetur expositio (1).

Præsente corpore, missa exequiarum solennis cantari potest omni die, exceptis festis duplicibus primæ classis, quæ observantur in populo, tam quoad obligationem audiendi missam, quàm vacandi ab opere servili (2), feriâ quintâ in Cœna Domini, sextâ Parasceves; et Sabbato sancto (3).

Hinc inferes, præsentem corpore, cantari posse missam exequialem, in dominica SS. Trinitatis, dominica in albis, dominicis primis adventûs et quadragesimæ; licet enim sint dominicæ primæ classis effectivè, seu quatenùs excludunt quodlibet aliud officium, non sunt tamen duplicia primæ classis: nam festum SS. Trinitatis celebratur tantùm sub ritu duplicis secundæ classis. Dominica in albis sub ritu duplicis majoris, et aliæ sub ritu semiduplicis; proindè non obstat decretum priùs citatum (4).

(1) Ex instructione Pontificum Clementis XI. et XII.

(2) S. R. C. 5. Julii 1698.

(3) S. R. C. 11. Aug. 1736.

* In festis Epiphaniæ Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, SS. Patronorum diœcesis et parochiæ, quorum feriatio ex indulto Pii VII. ad dominicam sequentem translata est, cantari nequit missa de *requiem* præsentem corpore, sed servari debet rubrica sicuti ante reductionem festorum, et extendi ad dominicam ad quam transfertur præfatorum festorum sollemnitas. S. R. C. 25. Maii 1855. ad dubium ab Ordinario Namurcensi propositum

(4) Ita sentire videtur *Spiridion Talu* scribens in decretum S. R. C. sub data 25. Jun. 1607.

Absente corpore, missa exequalis cantari nequit in dominicis et festis, quæ observantur à populo; pariter nec infra octavas Nativitatis, Epiphaniæ, (benè tamen secundâ, tertiâ, quartâ et quintâ die Jan.) Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi; prout eruitur ex decretis infrâ citatis (1): in duplici autem cantari potest, modò non sit festum in populo: ità sequens decretum: *Missæ defunctorum in die depositionis defuncti, possunt solemniter celebrari in diebus, in quibus cadit festum duplex, dummodò non sit festum de præcepto* (2). Porrò dies, in quibus abrogata est obligatio abstinendi ab operibus servilibus, non ampliùs censentur festivi iudicio ipsiusmet S. R. C. (3) proindèque nil obstat quominus exequiæ cantentur in illis, etiam corpore absente.

Sed quid de secunda, et in quibusdam locis de tertia missa, quæ cantantur pro defunctis in die depositionis eorum, etiam occurrente festo duplici? Hæc praxis quæ turpis lucri spiritum sapit, et à quo ortum duxisse videtur, est apertè contra mentem rubricarum et S. C. Decretorum, utpotè quæ semper supponunt unicam mis-

(1) Infra octavas privilegiatas (quales sunt suprâ memoratæ) non potest cantari missa defunctorum in anniversario et officio solemnè. S. R. C. 5. Jul. 1698.

Missæ cantatæ mortuorum infra octavam Corporis Christi non sunt celebrandæ, nisi præsentè corpore. S. R. C. 12. Sept. 1671.

(2) S. R. C. 19. Sept. 1654.

(3) Festum majus de præcepto est illud, in quo occurrit officium recitandum sub ritu duplici majori, cuique à legitimo superiore annexum est præceptum audiendi Sacrum, et abstinendi ab operibus servilibus. S. R. C. 11. Maii 1754.

sam solemnem celebrari in exequiis alicujus defuncti (1); adeòque ubi viget, abroganda.

Anniversaria cantari possunt in duplicibus etiam majoribus, non tamen secundæ classis; nec etiam in dominicis et festis; pariter nec infra octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes (2), et Corporis Christi (3). Item nec infra hebdomadam majorem (4) quibuscum excipi potest vigilia Pentecostes ob diei solemnitatem. Si ergò anniversarium occurrat cantandum aliquo è præfatis diebus, debet transferri vel meliùs anticipari (5) ad primum diem non impeditum, et non ultrà pro libitu; cantarique poterit in duplici etiam majori absque variatione in collecta (6), hoc est, in oratione dicendum; *Cujus anniversarium depositionis diem commemoramus*, etc. Hæc autem translatio anniversariorum, quando dies eorum est impeditus, fieri debet de præcepto, ita ut non sufficiat celebrare de die, applicando fructum sacrificii defunctis (7).

III. Per anniversaria, de quibus suprà, et quæ cantari possunt in duplicibus etiam majore-

(1) Missa unica solemnis, insepulto corpore, celebrari poterit etiam in dominicis et festis diebus. S. R. C. 29. Jan. 1752.

(2) S. R. C. 5. Julii 1698, et 2. Sept. 1741.

(3) 12. Sept. 1671.

(4) *Turrinus*, p. 2. sec. 1. cap. 4. cui accedit *Merati*, pag. 1. tit. 5. de Miss. Def. n. 5.

(5) S. R. C. 4. Maii 1686.

(6) 22. Dec. 1755.

(7) Obitus die impedito, non potest pro defunctorum anniversario cantari missa de occurrente festo, vel feria privilegiata per applicationem. S. R. C. 22. Dec. 1755.

ribus, intelliguntur missæ in cantu fundatæ, et quotannis celebrandæ ipso die obitûs recurrente, vel alio die antè vel post fixè designato in memoriam defuncti. Ruri autem (non verò in civitate, aut oppido), ubi parochus solet sine cantu missam legere, potest anniversarium celebrare per missam privatam, etiam in duplici majori (1), et die impedito anteponeere vel postponere, ut suprâ.

Jure anniversariorum etiam gaudent missæ à testatoribus (non tamen ab aliis, v. g. à parentibus) vivis fundatæ, ut certis et determinatis diebus per annum cantentur (2), sed celebrandæ sunt per missam quotidianam cum una tantùm oratione defunctis, pro quibus sacrificatur, conveniente.

Pariter in die tertio ab obitu, septimo, trigesimo (non quadragesimo, sexagesimo, aut quovis alio die) cantari potest de *requiem* in duplici majori non festivo, et die impedito antè vel postponi potest more anniversariorum (3).

(1) In ecclesiis parochialibus ruralibus, in quibus per annum unus tantùm sacerdos celebrat sine cantu, potest dici missa de *requiem*, quando anniversaria ex testatorum dispositione, recurrente obitûs die, incidit in festum duplex majus. S. R. C. 19. Junii 1700.

(2) Anniversaria, seu missæ quotidianæ cantatæ de *requiem*, relictæ ex dispositione testatorum, pro certis diebus, iisque impeditis die dominico, seu festo de præcepto, cantari possunt in diebus subsequentibus, in quibus occurrunt officia de festo duplici majori, non tamen de præcepto... S. R. C. 4. Maii 1686.

(3) Officium pro die tertio, septimo, vel trigesimo post obitum defuncti, si cadat in die dominico vel festivo, transfertur in diem sequentem cum eadem solemnitate. S. R. C. 25. Maii 1603.

Quoad missas in cantu fundatas, sed absque specificatione diei, dici tantum possunt diebus, quibus licet legere missas votivas; assumique debet ad earum celebrationem missa quotidiana cum tribus orationibus.

IV. Sequentia variantur in missa pro defunctis: 1.^o Celebrans facto signo crucis, et dictâ antiphonâ, *introibo ad altare Dei*, aliis omissis subjungit: *adjutorium nostrum*, etc. 2.^o Non se signat ad introitum, sed depositâ in librum sinistrâ, format signum crucis versus missale, quasi signaret personam ibi præsentem. 3.^o Hymnus angelicus et symbolum semper omittuntur. 4.^o Post *munda cor meum*, non additur *jube Domine benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo*, etc. 5.^o Finito evangelio, osculum libro non præbetur, nec dicitur *per evangelica dicta*, etc. 6. Aqua vino miscenda non benedicitur; recitatur tamen oratio *Deus qui humanæ substantiæ*. 7.^o Post psalmum *lavabo*, recitetur versus *Gloria Patri*. 8.^o Ad *agnus Dei*, pectus non tunditur, sed ter dicitur manibus junctis ante pectus, et non supra altare, ac loco *miserere nobis* substituitur *dona eis requiem*, et ultimo additur *sempiternam*. 9.^o Prima oratio ante Communionem, scilicet, *Domine Jesu Christe, qui dixisti*, etc. semper prætermittitur. 10.^o Loco *ite missa est*, vel *benedicamus Domino*, dicitur semper in plurali, et facie versâ ad altare: *requiescant in pace*. 11.^o In fine, populus non benedicitur; sed dicto *placeat*, et osculato altari, transit celebrans ad cornu evangelii et more solito legit evangelium S. Joannis.

Sequuntur quædam alia observanda in missis de *requiem*: 1.^o in iis, quæ celebrantur sivè cum cantu, sivè absque cantu in die commemorationis omnium defunctorum, in die obitûs (per quem intelligitur totum tempus, quo cadaver remanet insepultum), in die depositionis (per quem venit dies, quo corpus terræ mandatur), in die exequiarum, in diebus tertio, septimo, trigesimo, ab obitu et anniversario, una tantùm dicitur oratio personæ defuncti conveniens, et tunc de præcepto dici debet post epistolam prosa *Dies iræ, dies illa*.

2.^o In missis, quæ privatim leguntur, vel cantantur sine solemnitate extra dies suprâ enumeratos, tres dicuntur orationes, quarum prima conveniens personæ defuncti; secunda est ad libitum celebrantis, nempè pro patre vel matre, aut alio; tertia *fideliùm*. Prosa est ad libitum.

Dixi *sine solemnitate*: quia si missa quotidiana cum solemnitate celebretur, id est, cum ministris, vel cum sola thurificatione in ecclesiis, ubi non solent adesse ministri, et cum concursu populi majoris vel minoris, habitâ ecclesiarum ratione, tunc, disponente rubricâ (1), una tantùm dicitur oratio cum prosa, et hæc oratio erit *fideliùm*, si generaliter pro defunctis missa fiat, aliàs conveniens personæ, vel personis, pro quibus celebratur.

Tandem in missa quotidiana, quando in ea tres dici debent orationes, duæ aut quatuor addi possunt ad libitum celebrantis (2), hoc est, quòd

(1) Rub. gen. tit. 5. n. 5.

(2) Ibidem, tit. 9. n. 12.

quinque aut septem orationes legere possit, ponendo semper loco ultimo orationem *fidelium*.

V. Hic appendemus quædam decreta ad præsentem materiam spectantia cum brevi explanatione :

1. *Ex privata devotione parochianorum petentium sæpiùs per annum anniversaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis, et aliis defunctis, potest in ruralibus ecclesiis (et aliis juxta Cavalieri in hoc decretum) cantari missa sollemnis de requiem in festo duplici minori, alterâ missâ cantatâ de festo, ubi adsunt plures vel saltem duo sacerdotes (saltem si hæc sit in præcepto), dummodò sermo sit de die verè anniversaria à die obitûs. S. R. C. 19. Jun. 1770.* Hoc præsentis decreto ponitur differentia inter anniversaria à testatoribus fundata, sive in annum tantùm sive in perpetuum, et illa, quæ ex pietate erga mortuos vivi requirunt; cum enim prima cantari possint in duplici majori, et die impedito transferri, hæc 1.º solùm cantari possunt in duplici minori. 2.º Necesse est ut missa cantetur ipso obitûs die recurrente, et non alio. 3.º Hoc die impedito, ferri non possunt antè vel post ad aliud duplex; undè in supposito impedimenti in die obitûs cantari tantùm poterunt in festo semiduplici, assumendo missam anniversarii, quod licet ex antè dictis, sed non cum collecta ejusdem missæ, verùm cum alia, quæ habetur extra ordinem missarum pro defuncto, vel defuncta, etc.

2. *In die commemorationis omnium fidelium defunctorum, sacrificia possunt à sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet, vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantùm.*

S. R. C. 4. August. 1663. Sensus hujus decreti non est, quasi habens missam pro vivis ex justitia celebrandam, satisfaciat applicando fructum defunctis: omnes quippè obligationes pro vivis hæc die præcisè suspenduntur, sic ut remitti debeant in diem sequentem: idque, ut sacerdotes per applicationem sacrificiorum defunctis suffragentur, quibus hæc dies est dicata. Hoc igitur decreto tantum permittitur, ut sacerdotes, qui causâ stipendii tenentur sacrificare pro mortuis generaliter, vel pro particulari defuncto, valeant obligationi satisfacere per applicationem fructus juxta intentionem dantis stipendium: porrò præsentis decreto emendatur *Gavantus*, qui cum pluribus aliis tenet in die commemorationis defunctorum missas esse applicandas omnibus defunctis, etiam ab iis, qui tenentur illo die missam legere pro particulari defuncto: v. g. fundatore, quique addebat hos omninò satisfacere obligationi.

3. *Nemini licet facere octavas pro defunctis sine speciali indulto Sedis apostolicæ; neque, intuitu alicujus altaris privilegiati in aliqua ecclesia, licet exponere tabellum super januam ipsius ecclesiæ cum inscriptione: Indulgentia pro mortuis, sed tantum super ipso altari privilegiato consuetis verbis: Altare privilegiatum pro defunctis.* S. R. C. 15. Aug. 1667. Primâ parte hujus decreti tantum prohibetur, ne inconsultâ S. Sede instituat octava pro defunctis, cantando per octo dies continuos officium defunctorum, et missam de *requiem* etiam in dominicis et duplicibus: undè nihil obstat, quominus ex pietate erga defunctos per octo dies preces pro ipsis fundantur absque

inversione officii currentis, et absque læsione rubricarum: ita *Cavalieri* scribens in hoc decretum. Ratio secundæ partis per se patet: prohibetur ne tabula supra januam exponatur: quia per eam invitantur fideles ad lucrandas indulgentias, quæ solis sacrificiis sunt concessæ.

4. *Privilegium Alex. VII. diei 22. Jan. 1667. circa missas de festo duplici in altaribus perpetuò privilegiatis celebratas, extenditur etiam ad altaria, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus privilegiatis; ac proindè missæ, quæ ibidem de festo currenti, in quo missæ defunctorum celebrari non possunt, sive ex obligatione sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragantur, ità ut animæ pro quibus celebratæ fuerint, indulgentias per privilegia hujusmodi concessas, consequantur in omnibus et per omnia, perindè ac si missæ defunctorum ad normam eorundem privilegiorum celebratæ fuissent. S. R. C. 20. Jul. annuente Clemente IX. 13. Aug. 1669.* Ex hoc decreto, et pluribus aliis hac super re editis, duo erui debent: inprimis ad valorem indulgentiæ requiri missam de *requiem*, quando juxta rubricas dici potest: deindè indulgentiam prodesse defunctis per missam diei currentis, si prohibeantur missæ votivæ et de *requiem*, uti in duplicibus, octavis privilegiatis, exposito SS. Sacramento ob causam publicam, etc.

5. *In depositione defunctorum in illis verbis: non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificatur homo: Quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba servo tuo immutari in serva tua, vel servis tuis*

absque sacræ rubricæ læsione, et servandum est rituale. S. R. C. 31. Aug. 1697. Porrò in casu mulieris hæc oratio verificatur; quia masculinum aptum est sub se comprehendere fœmininum; et ita multæ leges sic conceptæ *qui vel si quis capiunt etiam fœminas.* In casu autem pluralitatis, ita accipi debet verbum in singulari, quasi de omnibus seorsim diceretur: et ita hæc antiphonæ *sacerdos et Pontifex et similabo eum*, etc. in festo plurimum Pontificum et confessorum verificantur. In quibusdam tamen ritualibus particularibus præscribitur mutandum *servo tuo in ancilla tua*; quare utentes rituali, in qua talis mutatio præscribitur, illam facere debent.

6. *In exequiis parvulorum in feria V. et VI. et sabbato majoris hebdomadæ, potest omitti Gloria Patri in psalmis, qui dicuntur pro conformitate temporis.* S. R. C. 16. Jan. 1677.: N. B. *Potest omitti*, adeòque et dici: quia hæc cæremonia est relativè ad officium extranea. Sabbato autem sancto omitti tantum potest ante missam, non verò post illam: quia resumpto versu dicto, conformitas tunc exigit illius recitationem. #

ARTICULUS VI.

§. 1. *De rubricis quibusdam generalibus. De inclinationibus et genuflexionibus.*

I. INCLINATIO, alia corporis, alia capitis: prima subdividitur in profundam et mediocrem. Profunda censetur, quando corpus est ita incurvatum, ut brachiis cancellatis, cum extremitate digitorum tangi possit utrumque genu: porrò hæc

fieri debet, quoties rubrica habet: *profundè se inclinatur*, vel *profundè inclinatus dicit*. Hæc autem ut decenter fiat in altari, celebrans sese profundè inclinaturus, debet medio circiter passu pedes ab antependio remove, et se ita constituere, ut frons ferè tangat partem superiorem antependii.

Mediocris est profundâ paulò minor, seu media inter profundam corporis et inclinationem capitis, de qua mox: hæc est formanda, dum rubrica habet *aliquantulum* vel *mediocriter inclinatus celebrans dicit*. Pariter ut hæc inclinatio debitè formetur in altari, paululum pedes sunt ab antependio removendi.

II. Inclinatio capitis, alia profunda, alia media, alia tandem parva seu minima. Profunda fit magnâ capitis depressione, quæ secum trahat modicam humerorum incurvationem: hæc est formanda, quando inclinatio capitis habet rationem cultûs Iatriæ; proindèque dum dirigitur ad SS. Sacramentum, vel ad crucem, aut fit ad prolationem nominis *Jesu*.

Media fit magna solius capitis demissione; et hæc est formanda, quoties inclinatio habet rationem cultûs hyperdulæ; undè cum hic debeatur generici Dei, ad prolationem nominis *Mariæ*, inclinatio media locum sibi vindicat.

Parva tandem est levis humiliatio solius capitis, et fit dum inclinatio habet rationem cultûs dulæ; proindèque ad prolationem nominis sancti, cujus missa celebratur, vel fit specialis commemoratio; necnon Pontificis (1).

(1) Hæc inclinationum capitis varietas statuitur in cærem. episc.

Notandum est hîc, orationem à *cunctis*, non venire nomine commemorationis specialis; proindeque ad nomina apostolorum et patroni ecclesiæ, caput non inclinatur. Idem dicendum, si pro oratione ad libitum assumatur collecta alicujus sancti; ad prolationem nominis ipsius, caput inclinari non debet.

Profunda capitis semper dirigitur ad crucem, vel ad SS. Sacramentum, quando est expositum, licet in pyxide tantum, vel in altari post consecrationem: ab hac regula excipitur evangelium, infra quod, dum profertur nomen *Jesu* à legente vel illud cantante, caput est inclinandum versùs librum, etiam exposito sanctissimo Sacramento.

Media et parva in omni casu exhibentur versùs librum in quo præfata nomina *Mariæ*, sanctorum et Pontificis scripta sunt (1). Ut autem inclinatio

(1) Dum plura simul propria sanctorum nomina junguntur, semel tantum est caput inclinandum, sed ita ut inclinatio duret à primo ad ultimum. Ulteriùs observandum, quòd inclinatio capitis debeatur tantum nominibus propriis sanctorum, sub quibus ab Ecclesia coluntur; hinc in festo *S. Petri*, dum profertur SIMON BARJONA, CEPHAS, etc. non est caput inclinandum, sed solum ad nomen PETRI. Tandem quæri potest ad quod objectum dirigi debeat inclinatio ad nomen MARIE, vel etiam alterius sancti, quando illius statua locum principem tenet in medio altari; de hoc silent rubricæ; et non mirum: tales enim statuas non supponunt in altaribus; interim ubi reperiuntur (casus non est infrequens in his partibus), cum ad prolationem nominis JESU, v. g. infra epistolam, caput sit vertendum ad crucem, et illi inclinandum, eò quòd crux expressiùs repræsentet Christum, quàm nomen JESU in missali exaratum; eadem ratio militat, ut in casuposito caput vertatur ad statuam B. M. V. et illi inclinetur. Equidem infra evangelium, ad prolationem nominis JESU, caput humiliatur versùs librum; sed id ob specialem rationem, nempe ob dignitatem textus evangelici,

capitis debite fiat, modestè caput est demittendum, et lentè erigendum; aliàs si fiat præcipitanter, actus est omninò inconcinnus.

III. Ad formandam genuflexionem, corpore et capite erectis, et absque ulla eorum contorsione seu inflexione, genu dextrum demittitur usque ad terram; idque juxta talum pedis sinistri. Celebrans flectens ante altare unico genu, manus interea deponit in illud, et præviè ad genuflexionem, pedem sinistrum ab antependio remove non debet. Quando præcipitur genuflexio facienda intrà altare et sine mora, semper agitur de flexione unius tantùm genu; si verò cum mora, duorum genuum, ad quam primò celebrans demittit genu dextrum, et deindè sinistrum: tempore autem quo manet flexus utroque genu, retractis ex altari manibus tenet eas ante pectus conjunctas, et antequàm surgat, eas denuò ad altare deportat.

§. II. De crucesignationibus.

IV. Se signans, imprimis palmam sinistrae manùs extensæ, quinque digitis sibi invicem unitis, applicat corpori immediatè infra pectus, non autem N. B. inferiùs, et extremitate dexteræ pariter compositæ, tangit physicè frontem, deindè pectus, sed sic ut manus sinistra sit extra lineam crucis, tum relevatà directè manu

qui propria Christi verba continet, et cui juxta synodum octavam cap. 3. idem honor debetur ac cruci: ideòque quando infra evangelium profertur nomen MARIE vel alterius sancti, similiter caput est inclinandum versùs librum; etiamsi eorum statua, seu imago foret in altari.

circa medium pectoris (1), humerum sinistrum, et tandem manu paululùm incurvatâ dexterum. Tacto autem humero dextero, manus non est deportanda ad medium pectoris, et multò minùs est osculanda.

Celebrans, dum se signat inter consecrationem, et communionem, constanter retinet pollices et indices unitos; et sinistram applicat corpori juxta parvum digitum, seu ita ut palma cœlum respiciat.

V. Sub initio evangelii, librum signat celebrans, et seipsum in fronte, ore et pectore: porrò ad signationem libri, deponitur palma manùs sinistræ in missale, et extremitate dextri pollicis discreti ab aliis digitis extensis et unitis, formatur parva crux supra initium sacri textùs, ad quem non pertinent hæc verba *in illo tempore*; proindèque dum per ea incipit evangelium, non sunt crucesignanda, sed immediatè sequentia. Ad sui autem signationem, celebrans apponit infra pectus sinistram, et extremitate pollicis dexteræ, ut suprâ extensæ, ducit primò parvam lineam à parte superiore frontis versùs inferiorem, et deindè reducto pollice ad medium primæ lineæ, format transversam à parte sinistra ejus-

(1) Ad formandam crucem, regula est generalis manum, post productam primam crucis lineam, esse directè reducendam ad medium dictæ primæ lineæ, antequam procedatur ad formationem secundæ. Hæc regula deducitur è decreto S. R. C. dato 21. Martii 1676, in quo præscribitur ad benedictionem cum SS. Sacramento, ut post primam crucis lineam remonstrantia relevetur ad medium pectoris, antequam formetur secunda, et mox iterum, inquit decretum, *rectâ lineâ illud tollit usque ad pectus*. Integrè videri potest num. VIII. sequens.

dem frontis versùs dexteram. Idem postea repetit supra os et pectus.

VI. Ad signationem oblatorum ante consecrationem, manus sinistra deponitur, et palma illius, unitis digitis, extra corporale, altari applicatur; interim dexterâ extensâ, unitis pariter quinque digitis, constituitur desuper calicem, sic ut extremitas parvi digiti respondeat medio pallæ; ad formandum autem primum crucis membrum, indè celebrans manum lineâ omninò rectâ retrahit versùs panem, et extra illum eam adducit, hoc est, quòd prima linea calicem et panem tegere debeat: ad secundum verò perficiendum, extremitas parvi digiti rectè reducit ad medium anterius pallæ, transportatur deindè manus ad angulum ipsius pallæ juxta cornu evangelii, et cum extremitate parvi digiti describitur pallæ tota anterior ora. Infra hoc signum crucis dextera sit à principio in finem extensa (1), et sustineatur æquè distans à superficie altaris, hoc est, quòd sub toto crucis signo manus non sit vel minimè deprimenda versùs hostiam.

Post consecrationem eodem modo sacræ Species signantur, excepto quòd celebrans debeat indices et pollices utriusque manûs tenere unitos, et sinistra sit deponenda in corporale et erigenda, id est, quòd sola pars illius lateralis juxta parvum digitum tangat altare.

Dum signatur seorsim panis vel hostia, depositâ, ut moris est, sinistrâ, demittitur dextra

(1) Cruces quæ fiunt à sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversâ (seu incurvatâ) sed manu rectâ in transversa parte crucis. S. R. C. 4. Aug. 1663.

usque ad nodum manubrii calicis, et formatur parva crux, seu talis, ut illius lineæ tantisper superent hinc et inde hostiæ latitudinem, cujusque secunda linea secet primam præcisè in medio rei signatæ. Ad signationem autem solius calicis, nisi palla foret extraordinariæ latitudinis, ducitur linea ab extremitate illius posteriore ad anteriorem usque, et à laterali ad lateralem versùs cornu epistolæ, sic ut etiam hæc transversa linea primam secet in medio calicis.

Nota hic. *Semel pro semper longitudinem linearum crucis, quæ fit cum manu, desumi ab extremitate parvi digiti; proindèque pars illa manus considerari debet tamquam penicillus, quo lineæ crucis quasi exarantur.*

VII. Pro benedictione populi cum manu, celebrans ad eum conversus, corpori sinistram admovet more solito; dextram autem in cœlum erectam, junctis simul omnibus digitis, tollit usque ad frontem, et statim deprimit usque ad pectus; tum relevatâ manu usque ad partem superiorem pectoris, format lineam transversam à sua sinistra in dexteram, idque sine ulla manûs signantis inflexione.

VIII. Cùm signatur populus cum SS. Sacramento, celebrans humerali tectus accipit utrâque manu velatâ ostensorium, nempè per pedem cum sinistra, et per nodum manubrii cum dextera; conversus autem ad populum, et tenens hostiam juxta partem superiorem pectoris elevatam, dum cantatur, et non antè, *procedenti ab utroque* (1)

(1) Benedictio cum SS. Sacramento danda est in fine hymni pange lingua, non verò ad versum *sit et benedictio*. S. R. C. 3. Febr. 1659.

elevat ostensorium lineâ omninò rectâ, sic ut hostia non transcendat oculos, et eodem modo demittit infra pectus, moxque relevat ad altitudinem pectoris, et hîc absolvitur prima crucis lineâ. Pro formanda jam secunda, ostensorium ducit ad humerum suî sinistrum, et exindè tractu continuo ad suî dexterum, et à dextero ad medium pectoris, ubi aliquantulùm sustinet Sacramentum à fidelibus adorandum (1).

Nota 1.^o secunda linea hujus crucis non est magis extendenda quàm prima, quod non rarò abusivè accidit. 2.^o Infra benedictionem pedes nullo modo sunt movendi. 3.^o Sacerdos benedicens debet constanter tenere oculos in sacras Species defixos. 4.^o Silet benedicens populum cum SS. Sacramento.

(1) In benedicendo populo cum SS. Sacramento, iste modus approbatur, nimirum: cùm sacerdos stat ante populum, ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti morâ non supra caput, sed tantùm usque ad oculos, et eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterùm rectâ lineâ illud tollit usque ad pectus, exindè ad sinistrum humerum ducit, et reducit ad dexterum, et rursùs ante pectus reducit, ibique aliquantulùm sistit, quasi peractâ ad omnes mundi partes cruce, et Sacramentum etiam venerandum omnibus præbet, tunc gyrum perficiens collocat ostensorium super altare: servari etiam potest alius modus descriptus in cær. episc. lib. 2. Cas. 55. ubi requiritur tantummodò, ut cum eodem Sacramento celebrans producat signum crucis, *hoc est, quòd formato integrè crucis signo, statim per suam dexteram possit se ad altare convertere, sic ut non sit necesse, denuò SS. Sacramentum, ad medium pectoris à populo adorandum reportare.* Hoc decretum stat in indice *Merati*, n. 725. sub data 21. Martii 1676. *Primus modus cùm in his partibus ubique servetur, ad majorem uniformitatem retinendus videtur.*

IX. Quando populus solemniter est benedicendus post missam cum reliquia SS. crucis (1), celebrans, ut descendit ex altari, flectit uno genu, ac deindè erectus thus in thuribulum injicit, illudque benedicit more solito. Tum renovatâ genu unius flexione, stando ter dictam reliquiam incensat: renovatâ autem genu unius reflexione, induitur humerali, et acceptâ SS. crucis reliquiâ, cum ea signat populum, ut suprâ cum SS. Sacramento, nihil dicens.

§. III. *De junctioe manuum et earum extensione.*

X. Sub junctioe manuum, palma unius exactè applicatur palmæ alterius, digitis utriusque manûs sibi invicem unitis, sibique invicem respondentibus. Ante consecrationem et post communionem, pollex dexter supra sinistrum ponitur in modum crucis: post consecrationem verò indices et pollices manent sibi invicem uniti. Quando manus junguntur ante pectus, paululum distent à vestibus, et ita sustineantur, ut extremitates digitorum cœlum directè respiciant.

XI. Infra manuum extensionem, digiti utriusque manûs sibi invicem jungantur; palma unius directè vertatur ad palmam alterius, manus non excedant humerorum latitudinem, nec eorundem altitudinem, sintque erectæ, et propiùs, quàm fieri potest, accedant ad humeros.

(1) Post expositionem SS. crucis, vel post ejus delationem in processione benedicendus est populus cum ipsa. S. R. C. 13. Sept. 1736.

Quando manus una movetur ad vertenda folia, vel ad quodlibet aliud, altera simul deponatur, à consecratione ad communionem intrà corporale, et extra hanc partem sacrificii vel supra altare extra limites corporalis, vel supra librum, si celebrans stet extra medium altaris v. g. infra collectas, epistolam, evangelium, etc.

§. IV. De incessu.

XII. Incessus sit môdestus et gravis; fiat corpore et capite erectis, oculisque ad terram propè pedes demissis, quod ultimum est exactissimè observandum, dum celebrans se vertit ad populum dicturus *Dominus vobiscum*, *orate fratres*, etc.

Cùm relata in hoc articulo maximè conducant ad devotam celebrationem, si exactè observentur; inspiciant ergo sacerdotes ministri Dei viventis, et faciant sicut ibi monstratum est.

ARTICULUS VII.

De coloribus vestium sacerdotalium.

I. QUINQUE sunt colores, quibus jam utitur Ecclesia, scilicet violaceus, albus, ruber, viridis et niger (1) pro quorum usu in missa diei, vide

(1) Colore violaceo utitur Ecclesia in adventu, quadragesima, feriis 4. temporum et vigiliis, ob mœrorem poenitentiae, cui tunc specialiter vacat. Albo, tempore paschali: tum quia Angeli apparuerunt prope sepulchrum amicti stolis albis; tum quia infantes baptismo renati in festis paschalibus albis etiam induebantur vestibus. In festis B. M. V.,

directorium. In missis autem votivis mysteriorum et sanctorum, idem adhibetur color, ac in eorum festis : excipe missam votivam SS. innocentium, quæ exigit colorem rubeum, licet in festo eorum violaceus adhibeatur (1). Quantum ad eas, quæ in fine missalis proponuntur, et quæ non ita respondent alicui festo, hæc regula est servanda. 1.º In missa votiva de passione adhibeatur violaceus, et de cruce, ruber. 2.º Pro eligendo summo Pontifice, ruber. 3.º Pro creatione et coronatione Papæ, pro anniversario consecrationis episcopi : pro sponso et sponsa, albus. 4.º Ad tollendum schisma : pro quacumque necessitate : pro remissione peccatorum : ad postulandam gratiam benè moriendi contra Paganos : tempore belli : pro pace : pro

SS. virginum et non virginum, ac confessorum ob candorem integritatis vel innocentiae eorum. Rubro, infra octavam Pentecostes ob linguas igneas, quæ descenderant in apostolos ; pariter et in festis martyrum : quia hi sanguinem fuderunt pro Christo. Viridi, ab octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, et à Pentecoste ad adventum : quia hic color quasi mediat inter alios ; cum ergò prædicta tempora nec lætitiæ, nec pœnitentiæ sint specialiter consecrata, ideò rectè color viridis adhibetur. Nigro tandem utitur Ecclesia in officio defunctorum, vel ob lugubres umbras sepulchri, vel ob tristes officii accentus, aut potiùs ob humiliationem et pœnitentiam, quibus vivi student suffragari mortuis. Græci sub missis defunctorum utuntur colore rubro, et in illis legunt et cantant verbum festivum *alleluia* ; idque ob spem bonam salutis fidelium, qui in Christo moriuntur. In missali etiam Gothico, seu Mozorabico secundum regulam S. Isidori sic incipit missa pro defunctis : *Portio mea, Domine allelula, in terra viventium alleluia, alleluia* : idem viguisse olim in Galliis acta S. Radegundis testantur apud Baronium.

(1) *Merati*, pag. 1. tit. 4. de missis vot. pag. 6. n. XXXVI. Huic consentire videntur rub. miss.

vitanda mortalitate : vel tempore pestilentiae : pro infirmis : pro peregrinantibus, vel iter agentibus color violaceus. 5.^o In missis de *requiem* semper est adhibendus color niger, et illius defectu, violaceus (1).

II. Paramenta debent esse unius tantum coloris, vel saltem unus ita prædominetur, ut dici possint unius, potius quam alterius : ratio hujus per se patet ; cum enim rubricæ uni festo tribuant colorem specialem, profectò intendunt excludere alios ; adeoque earum finis non obtinetur, dum in eodem paramento colores diversi æquè apparent : hinc patet, quàm alienæ sint à spiritu Ecclesiæ casulæ, in quibus quatuor colores simul inveniuntur, vel illæ, quarum crux est alba et reliquum rubri coloris. Ad hoc advertere debent sacristiarum procuratores.

(1) Missæ defunctorum non possunt celebrari, nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo, S. R. C. 21. Jun. 1670. Hinc tanquam abusus haberi debet praxis cantandi exequias masculorum et puellarum cum paramentis albi coloris, eaque eò magis abrogari debet, quò est obnoxia variis inconvenientibus, non rarò enim accidit, ut petantur exequiæ in albis, pro personis publicè non virginibus ; quid aget pastor in illis angustiis ? Si recuset, consanguineos offendet, si concedat, scandalosas in populo excitabit oblocutiones ; quibus omnibus ut obveniat, indistinctè adhibendus est color niger : undè clerus Leodiensis, annuente episcopo, statuit prout sequitur : *In ecclesiis, in quibus cantantur exequiæ pro puellis et masculis innuptis, nullo prætextu adhiberi potest color albus, sive ad celebrationem missæ, sive ad ornatum altaris, sive ad legendum corpus aut feretrum, sed niger, prout exigit cæremonia ista lugubris.* Eadem ratione adhiberi non possunt cerei albi in signum distinctivum personæ innuptæ : ita etiam observari mandavit illustrissimus vicarius generalis sub data 11. Maii 1770, prout videri poterit in directorio romano anni 1771. Leodii impresso.

Sed quid dicendum de colore aureo? Usu jam recepto inservit pro albo et rubro.

III. Quando in una ecclesia fit officium de duplici, sub quovis prætextu, extraneis ad eam celebrandi causâ confluentibus, concedi non possunt vestes coloris diversi ab eo, quo utitur dicta ecclesia; proindèque, uti pluries declaravit S. R. C. (1) extranei tenentur se conformare colori ecclesiæ, in qua celebrant, saltem quando in ea fit de duplici, et ulterius tenentur legere missam colori conformem, id est, de sancto, cujus ibi fit officium; ex his principiis fluunt sequentes resolutiones.

Prima: habens officium dedicationis sub ritu duplicis primæ classis, et celebrans ubi fit de martyre sub ritu duplici, tenetur accipere colorem rubrum, et neglecto prorsus officio dedicationis, celebrare missam de martyre.

Secunda: habens officium patroni, v. g. martyris, sub ritu duplici primæ classis, et celebrans ubi fit de dominica exigente colorem violaceum vel viridem, tenetur accipere colorem dominicæ, et missam illius legere, sed cum missa dominicalis includat pluralitatem orationum, faciet commemorationem patroni, et nihil aliud (2); quia dominicis infra octavas duæ tantum dicuntur orationes. Quod si sanctus, de quo celebrans facit officium, non habeat octavam, tunc secundo loco legit, ut supra, orationem sui officii, et tertio eam, quæ secundo loco dicitur in ecclesia, ubi celebrat. Quantum ad hymnum angelicum,

(1) S. R. C. 7. Maii. 1746.

(2) S. R. C. 11. Jun. 1701.

et præfationem , se conformat aliis ibidem celebrantibus.

Tertia : habens officium dedicationis sub ritu duplici primæ classis , et celebrans ubi fit festum , v. g. patronæ virginis sub eodem ritu , debet absque ullo respectu ad dedicationem suæ ecclesiæ legere missam patronæ ; idque propter solemnitatem festi in illo loco , ratione cujus concordia localis prævalet personali.

Quarta : habens officium sub ritu primæ vel secundæ classis exigens colorem album , et celebrans in ecclesia , ubi fit de duplici minore , vel etiam majore exigente pariter album colorem tenetur legere missam conformem suo officio : quia in hoc casu , concordantia personalis prævalet locali.

Quinta : habens officium duplex minus vel majus exigens colorem rubrum , et celebrans in ecclesia ubi fit de alio festo pariter duplici , et exigente eundem colorem , sed sine solemnitatem et concursu populi , potest pro libitu se conformare ecclesiæ , vel legere missam conformem suo officio : quia tunc concordia localis non magis ligat quàm personalis.

Sexta : habens officium semiduplex coloris albi , et celebrans in ecclesia , ubi fit de duplici exigente colorem pariter album , rectius legit missam de duplici ; potest tamen legere missam conformem suo officio : quia dictum officium duplex solùm videtur exigere concordantiam coloris , non autem missæ , et id , quia fit , ut supponitur , sine solemnitatem et apparatu. Eâdem ratione non foret culpandus , qui in illo casu lege-

ret missam votivam concordantem cum colore ecclesiae.

Septima: habens officium semiduplex, vel inferioris ritus, compatiens missas votivas, et celebrans in ecclesia, ubi simile fit officium, potest quemlibet petere colorem, et missam celebrare votivam aut de *requiem*.

Ex his casibus, in quibus omnes ferè comprehenduntur, erui potest quid agendum, dum quis celebrat in alienis ecclesiis, in quibus fit diversum officium. Hoc solùm notandum restat, quòd celebrans in ecclesiis regularium vel monialium, in quibus fit officium de sancto particulari ordinis, teneatur in casibus suprà positis, legere missam de communi illius sancti, idque ex missali romano (1). Ab hac regula excipe 1.º Capellanos monialium S. Benedicti, qui ex indulto Bened. XIII. possunt legere missas proprias sanctorum ordinis. 2.º Ecclesias ordinis minorum strictae observantiae, in quibus ex indulto SS.mi sub data 5. Sept. 1775. quilibet sacerdos, sive saecularis, sive regularis, missali Franciscano in omnibus uti potest. Idem indulxit Pius VI. sub data 15. Julii 1778 pro omnibus ecclesiis Capucinorum et monialium ejusdem ordinis.

IV. Hactenùs dicta solummodò cadunt in missas privatas; nam si sermo sit de cantatis, absque ullo respectu ad officium, quod celebrans recitavit, cantanda est missa juxta officium ecclesiae, ubi fiunt missarum solemnities (2). Hinc capellanus monialium, negligens prorsùs officium

(1) S. R. C. 11. Feb. 1702 et 20. Nov. 1717.

(2) S. R. C. 11. Jun. 1701.

suum quantumvis solemne, debet missam quotidie legere conformem officio ipsarum monialium, sive sit de festo, sive de feria, vel etiam votivas et de *requiem*, quando earum officium permittit, et fundatio tales postulat. Pariter tenetur facere commemorationes, quas faceret, si officium monialium ipse recitasset; et hoc verum est, tam de missa solemni, quàm privata; modò hæc sit missa principalis, seu quæ suppleat solemnem, proût practicatur in quibusdam domibus monialium. Hic etiam notent diligenter capellani, omnia esse desumenda ex missali romano; ita ut legere nequeant missas proprias ordinis, sed de communi, nisi fortè circa hoc daretur privilegium speciale et authenticum. *Vide dicta in fine num. præcedentis.*

Idem dicendum de sacerdote, etiam regulari, administrante pro tempore parochiam, tenetur quippè missas festivas, exequiales, anniversarias et votivas celebrare juxta directorium pastoris absentis.

V. Tandem sacerdos habens officium, quod compatitur missas votivas et de *requiem*, et celebrans in sacella vel oratorio privato, ubi nullum recitatur officium, potest legere missam votivam vel de *requiem*, licèt in parochia, ubi situm est oratorium, fiat officium de duplici: solùm videtur excipiendus dies festivus patroni loci: undè tali die celebrans in districtu loci, licèt in oratorio privato, abstinere debet à lectione missæ de *requiem*, et modò non habeat officium duplex convenienter legere poterit missam votivam patroni loci, id est, cum *Gloria sine Credo*. *Vide latius Praxim divini officii, art. 21. §. 2. in fine.*

ARTICULUS VIII.

De tempore impendendo in celebratione sacrosancti missæ sacrificii.

I. CUM missæ sacrificium sit actio totius religionis celeberrima, in cujus conspectu negotia regum et principum hujus mundi, quæ non rarò universum orbem terrarum commovent, sunt præcisè lusus puerorum et meræ nugæ, sacerdotes ministri illius profectò tenentur sufficiens adhibere tempus, ut rem adeò grandem toto devotionis ac reverentiæ apparatu perficiant.

Quantùm ad tempus requisitum pro debita sacrificii celebratione, attentà missarum varietate, in individuo determinari nequit, certò tamen dici potest, ad missam breviorẽ peragendam, medietatem horæ circiter esse necessariam, et absque peccato celebrari non posse minori spatio quàm quadrantis cum medio (1); et sanè quicumque attentè consideraverit quantitatem legendorum in missa, et multitudinem cæremoniarum illius, ulteriùsque omnia esse agenda modestè, reverenter ac attentè, necnon ritus esse perficiendos integrè, suo tempore; seu absque eorum anticipatione vel postpositione, statim fatebitur tempus suprà determinatum esse absolutè necessarium ad missæ perfectionem: undè rem illam faciens tempore breviori peccat plùs vel minùs juxta majo-rem vel minorem præcipationem; et ut aliquid super hæc positivè ponatur, episcopus S. Aga-

(1) Ita auctores ferè omnes.

thæ Gothorum (1) ait, *sacerdotem qui missam absolveret minori spatio quadrantis horæ, non excusari à peccato mortali, cùm in tam brevi spatio non possit illa celebrari, vel sine magna corruptione verborum et cæremoniarum, vel saltem sine magna indecentia.*

Formidabilis doctrina! sub qua arescere debent præ timore tot sacerdotes in missa præcipientes nimis; ex ea enim sequitur illos tot sacrilegiis pollui, quot dies elucescunt ipsorum oculis; et continuò vivere sub hoc terribili anathemate: *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter* (2) (pro quo 70. habent *negligenter*). Tandem sequitur illos deduci ad inferos viventes; quamdiù enim non retractaverunt hanc pravam consuetudinem, habitualiter versantur in statu æternæ damnationis. Utinam sacerdotes, qui sunt in casu, hanc veritatem saperent et intelligerent, ac novissima sua pessima providerent, profectò indè timor salubris irrueret in eos, qui cohibens omnem in agendo sacrificio præcipationem, eos in altari modestos, humiles, religiosos, ac exactos cæremoniarum observatores redderet.

Sed eheu! Non est character impiorum, præsertim sacerdotum, ut cor docile præbeant veritati; omni tempore hi noluerunt intelligere ut benè agerent: undè ut justificent suam praxim in altari, quærunt excusationes varias; illas audiamus: omninò niveæ cùm sint sole rationis et religionis facilè dissolventur.

(1) *B. Alphonsus de Ligorio* in directorio ordinandorum, num. 200.

(2) *Jerem. cap. 48. v. 10.*

Imprimis dicunt nonnulli : Si citò missam absolvamus, hoc fit, ut fideles allecti et attracti brevitate missæ, frequentius ac ferventius illi assistant. Non est quid sub sole novum, nefanda quæque sub sacro religionis velamine tegere, et ad hanc hypocrisim revocanda est hæc excusatio ; non enim hi moventur motivo amoris erga hoc mysterium, sed proprio student favere tepori. Dicendum ergò quòd sacerdotes hoc unicè habeant in altari præstandum, nempè dignum divinâ majestate obsequium ; proindèque modò ultra modum non protrahant celebrationem ; v. g. ultra dimidiam horam (quod non foret laudabile) sive fideles missæ intersint, sive non, hoc in eorum capita non redundabit.

Deindè omnia jura clamant non esse facienda mala, ut veniant bona : porrò celebratio missæ nimis accelerata, annexum habet malum, et malum pessimum irreverentiæ erga augustissimum altaris mysterium, necnon scandali erga fideles sacrificio adstantes ; dum enim hi animadvertunt sacerdotes in altari festinantes, et ita se gerere, ac si rem omninò profanam et vilem gererent, paulatim devotionem ac pietatem erga hoc sacrificium deperdunt, et utinam non simul fidem realitatis illius : proindèque illicita est præcipitatio in missa, quamvis supponeretur ex illa resultare aliquod bonum, nempè ad eam frequentia ; præstat quippè ut pauci sacrificio intersint cum vera devotione, quàm plures indebitis cum dispositionibus, et sui offensione.

Tandem undè fideles appetunt et studiosè quærunť missas breviores ? Nonne in causa sunt

ipsi sacerdotes sub sacrificio præcipites? si enim omnes tempus debitum assumerent ad celebrandum, cessaret in laïcis omnis querela circa moram ministrorum in altari; in hoc ergò emendent se sacerdotes, et simul cum eis emendabuntur fideles: *sicut populus, sic sacerdos.*

Et qui sunt, qui ita festinanter sacrificant, quasi latronibus à tergo insequentibus urgerentur? Eheu! ordinariè viri totâ die otiosi, qui præter celebrationem et officii lectionem, nulli vacant occupationi seriæ, sed qui dies et horas terunt in vanis colloquiis et conversationibus statui ecclesiastico sæpè non multùm congruentibus, et indè consequenter culpabiliores; quippè qui habent otium debitè vacandi rei sacræ, et nihilominùs denegant tanto operi medietatem unius horæ, sanè digni sunt audire hoc exprobrium Christi, ad apostolos: *Non potuistis unâ horâ vigilare mecum* (1)?

Sed prosequuntur: si missam citò absolvamus, hoc fit absque ullo pronuntiationis et cæremoniarum præjudicio. Inprimis factum legitimè negari posset; si quidem, ut suprâ dictum est, impossibile sit spatio minore quàm quadrantis, missam absolvere absque magna confusione in verbis et cæremoniis: unusquisque seipsum attentè consideret, et propriâ experienciâ hujus veritatem percipiet. Interim, hoc gratis dato, ideò non foret quis à culpa innoxius; non enim sufficit omnia verba proferre, ac omnes cæremonias observare, sed juxta illud *Davidis* (2): *Quoniam Rex omnis*

(1) *Matth.* cap. 26.

(2) *Psalmo* 46.

terræ Deus, psallite sapienter, functio oris et labiorum sacerdotis in altari, debet esse modesta et reverens; pariter et cæremoniæ sunt perficiendæ cum illa gravitate, quæ tantoperè decet legatum Omnipotentis; adeòque minister in sacrificio præceps, licèt aliundè nihil omittat, reus est irreverentiæ erga Deum, meritòque timere debet ne hæc maledictio in Doëg calumniatorem in se locum inveniat: Dilexisti verba præcipitationis, propterea Deus destruct te in finem.

Veniunt tandem alii festinantes ad impediendas, inquit, distractiones. Sed præcipitatio non est medium ad hoc ordinatum, præcipitatio enim generat perturbationem, et perturbatio mentis evagationem. Præterea advertendum quòd solæ distractiones nobis imputentur ad culpam, quæ sunt voluntariæ: dum autem inviti et renitentes illas patimur, nobis cedunt ad meritum et coronam.

Ex his patet, quòd nullâ ratione cohonestari possint præcipitatio et festinatio in celebratione sacrificii missæ. Undè si ante tribunal solius rationis, in favillam reducantur omnes excusationes, quomodò valebunt ante tribunal severi Judicis, qui ob levem irreverentiam erga arcam fœderis, morte percussit *Ozam*; qui ob levem negligentiam in sacro ministerio, inflammavit et extinxit *Nadab* et *Abiu* filios *Aaron* summi pontificis; quique terribiles in sacris paginis profert maledictiones in eos, qui negligenter faciunt opus sacri ministerii ac eos de earum certa immissione comminatur (1)? *Quòd si audire nolueris vocem*

(1) *Deuteronomii cap. 28. 15.*

Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie; venient super te omnes maledictiones istæ; et apprehendent te. Hæc seriò meditanda dimitto iis, qui sunt in casu, ut sciant, malè tractato corporis Christi mysterio, terribile esse in manus Dei ventis incidere.

Antequam claudatur hic articulus, verbum adjiciemus de mediis opportunis ad impediendam præcipationem in celebratione missæ; et ad tollendam ignorantiam sacrarum cæremoniarum in altarium ministris. Ad primum, necessaria foret ex parte episcopi determinatio quædam temporis impendendi in actione sacrificii, v. g. quadrantis cum dimidio, simul imponendo obligationem strictam omnibus ecclesiarum rectoribus invigilandi custodiæ hujus dispositionis. Ad secundum, remedium simplex et efficax esset, si ab omnibus promovendis ad sacerdotium, sive sæcularibus sive regularibus, tam exemptis, quàm aliis, exigeretur testimonium super scientia cæremoniarum ad missam, illudque relaxandum à persona habili ad hoc constituta ab episcopo, et quæ fideliter ac cum ultimo rigore hoc grandi fungeretur ministerio. Hæc præcautione, ne subditi ab ordinatione impedirentur, superiores ordinum in suis respectivè domibus magistrum cæremoniarum instituerent, qui juniores hac super re debitè edoceret; hique eadem lege ad earum studium potenter stimularentur; sicque paulatim facies sanctuarii cum magno religionis augmento, et fidelium ædificatione immutaretur.

PRAXIS

CELEBRANDI MISSAM

PRIVATAM.

PARS SECUNDA.

ARTICULUS PRIMUS.

*De agendis à sacerdote in sacristia usque ad
ingressum ad altare.*

I. SACERDOS jejunus (1), in statu gratiæ con-

(1) Jejunio naturali, hoc est, quòd sacerdos à media nocte nihil quidquam commestibile aut potabile ab extrinseco sum-
pserit per modum cibi vel potûs : hæc lex duas patitur ex-
ceptiones ; 1.^o dum est integrandum sacrificium ; unde si
sacerdos moriatur, vel ita infirmetur peractâ primâ conse-
cratione, ut prosequi non valeat, si sacerdos jejunus non
adsit, tunc non jejunus potest et debet sacrificium per-
ficere. 2.^o Dum ex omissione missæ resultaret scandalum :
hinc sacerdos habens missam celebrandam in die festo cum
populi concursu, si alius non adsit, potest et debet non je-
junus sive inadvertenter, sive culpabiliter, missam facere
solemnem vel privatam. Idem dic in aliis casibus similibus :
ratio hujus est quòd obligatio vitandi scandalum sit natu-
ralis, jejunii verò tantùm ecclesiastici ; porrò prima strictius
ligat, quàm secunda ; adeòque, etc. Ita *Cavaliere* author *Italus*,
tom. 5. cap. 7. n. 15. qui et hanc resolutionem dicit com-
munem. Casus tamen fracti jejunii debet esse occultus ; aliàs

stitutus, veste talari (1), et super eam (dum commodè potest) superpelliceo indutus, pedibus calceatus, lecto matutino cum laudibus, præmissis, de præcepto, præparationibus, quæ in missali habentur, vel aliis pro sua devotione, accedit ad sacristiam (2), ubi parata sunt vestimenta debiti coloris (3), vel quæ parat ipsemet sacerdos, si præviè non sint parata, et valedicens creaturis, abstinensque deinceps ab omni sermone profano, nisi urgeat loquendi necessitas, accipit missale, perquirat in eo missam, quam perlegit, præsertim dum adest dubium nùm orationes eadem occurrant, adeoque mutandæ sint; signaculaque adaptat locis, in quibus est aliquid legendum tempore missæ, ne hæreat inter celebrandum volvendis foliis: missale autem sic dispositum transfertur clausum ad altare à ministro.

si esset publicus, majus fortè resultaret scandalum ex celebratione missæ, quàm ex illius omissione.

(1) Rub. gen. de Præpar. sacerd. n. 2. Undè rectores ecclesiarum non possunt permittere, ut in suis respectivè locis fiat missa, cum veste breviorè, nisi saltem toga talaris superinduatur: quare in ecclesiis, ad quas confluent extranei sacerdotes, utiliter quædam diversæ longitudinis togæ in eorum gratiam appenderentur. Qui accedunt cum vestibus cærulei coloris, vel alterius non nigri, aut sine collari ecclesiastico, utpotè non induti veste nuptiali, seu clericali, à celebratione missæ sunt prohibendi. Vide *Rit. Leod. de Sacrif. missæ*.

(2) Celebrans non debet in altari se induere, nisi deficiente sacristiâ, et tunc non in medio altaris, sed in cornu evangelii se induat.

(3) Sacristæ, dum in ipsorum ecclesiis habetur officium duplex, v. g. exigens colorem album, extraneis sub quocumque prætextu non debent alium colorem concedere. Ita colligitur ex variis decretis S. R. C.

II. Disposito missali, lavat manus, dicens : *Da, Domine, virtutem manibus meis, ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.*

III. Lotis manibus, accedit ad calicem, quem vestit ordine sequenti : 1.º Ponit super calicem purificatorium mundum; ita ut extremitates illius ex utraque parte calicis pendeant, et super purificatorium cochlear parvum, ubi est in usu : 2.º Apponit patenam, et super eam panem majoris formæ, quem leviter extergit à fragmentis, et supra quem convenienter ducit lineam cum patena, ut facilius dividatur in fractione : 3.º Apponit pallam (1), et desuper velum, quod ex rubrica debet esse sericum : 4.º Super velum ponit bursam, in qua sit corporale mundum : debet autem sic bursa collocari, ut pars illius aperta respiciat corpus sacerdotis calicem ferentis. Quòd si calix sit aliundè vestitus, sufficit, si sacerdos hostiam apponendo conspiciat, an munda sint purificatorium et corporale.

IV. Vestito calice, accedit ad paramenta, quæ non debent esse sordida vel lacera, sed integra, munda et quantum fieri potest, pretiosa, ut in sacerdote reluceat qualitas legati Omnipotentis, ibique accipiens amictum amabatur manibus juxta extremitates et chordulas, absque ullo crucis signo, illum osculatur in medio ubi est crux, et ponit supra caput, declinatque mox ad collum, eo tegens collare (2); ita ut nullatenus appa-

(1) In sacrificio missæ non est adhibenda palla à parte superiori drappo serico cooperta. S. R. C. 22. Jan. 1701.

(2) Collare ecclesiasticum propriè est illud, quod viget in

reat : tum ducit chordulas ante pectus per modum crucis , et circumducens eas per dorsum reducit ante pectus , ibique ligat extremitates ; interea autem dicit sacerdos : *Impone , Domine , capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.*

V. Albam induit , capiteque in eam immisso , ducit primò brachium dextrum in manicam dexteram , et dein sinistrum in alteram , interim dicens : *Dealba me , Domine , et munda cor meum , ut in sanguine agni dealbatus , gaudiis perfruar sempiternis.* Si aperta sit alba circa collum , antequam accipiat cingulum , debet eam fibulis , vel chordulis adstringere.

VI. Accipit cingulum (1), per ministrum sibi à tergo porrectum , et se cingit non juxta partem superiorem pectoris infra brachia , sed juxta renes , dicens : *Præcinge me , Domine , cingulo puritatis , et extingue in lumbis meis humorem libidinis , ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.* Minister autem elevat albam super cingulum circumcirca , ut tegat vestes , honestèque dependeat ferè usque ad terram , id est , latitudine unius digiti , vel circiter , mediante inter terram et extremitatem albæ . Si opus sit , sacerdos aciculis figat utramque manicam albæ , ne infra missam supra manus decident.

VII. Accipit manipulum , cujus crucem osculatur , et immittens in eum brachium sinistrum , dicit : *Merear , Domine , portare manipulum fletus*

seminariis et collegiis , illudque solum est , quod commodè amictu potest circumtegi.

(1) Sacerdotes in sacrificio missæ congruentiùs utuntur cingulo lineo quàm serico. S. R. C. 22. Januar. 1701.

et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris. Debet autem manipulus collocari non supra cubitum, sed infra, et ne decidat, convenienter figitur aciculâ.

VIII. Accipit stolam ambabus manibus et illius crucem osculatur in medio, imponitque medium stolæ, ubi est crux, collo; tum partem stolæ respondentem humero sinistro ducit ad latus dexterum, alteramque supra ducit per modum crucis ad sinistrum, et utramque partem stolæ cum extremitatibus cinguli ita alligat, ut stola remaneat in modum crucis toto tempore sacrificii; interimque dicit: *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidisti in prævaricatione primi parentis: et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.*

IX. Accipit casulam (N. B.) sine illius osculo, dicens: *Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est, et onus meum leve: fac ut istud portare sic valeam, quòd consequar tuam gratiam, amen.* Congruit ut sacerdos cingulo appendat, in parte dextra infra casulam, sudarium album pro emunctionibus, etc.

ARTICULUS II.

De ingressu sacerdotis ad altare, usque ad initium missæ.

I. SACERDOS omnibus paramentis indutus, tegit birreto caput, et accipiens sinistrâ manu calicem per nodum, impositâ palmâ dextræ supra bursam, ne quid decidat de calice, tenet eum elevatum

ante pectus, sic ut sit aliqua distantia inter pectus et calicem; et factâ inclinatione capitis cruci, vel imaginibus sanctorum (1), N. B. capite coöperto, accedit ad altare, ministro præcedente cum missali, et aliis ad sacrificium necessariis, nisi præviè ad altare sint delata.

Nota 1.^o quòd si calix ex aliqua causa (2) non ferretur à celebrante, detegendum foret caput ad formandas inclinationes in sacristia, et in ecclesia ante cruces altarium. Nota 2.^o quòd nihil prorsùs sit ponendum supra calicem, nec clavis tabernaculi, nec perspicilla, nec patena cum panibus, etc. (5) undè hæc deferri debent à ministro.

II. Sacerdos, factâ inclinatione, procedit ad altare, oculis ad terram demissis, incessu minimè festino, sed gravi, erecto corpore, nihil ore recitando, et neminem salutando, nisi prælatos et magnates gravissimæ notæ, quibus debet inclinationem majorem vel minorem præbere, prout exigit eorum dignitas, si ante illos propè transeat, sed semper coöperto capite. Pariter si occurrat sacerdoti redeunti ex altari, debet dexteram suam

(1) In sacristiis benè ordinatis debet adesse crux cum imagine crucifixi, vel saltem imago B. V. vel patroni, aut alterius sancti, hoc supponit rubrica: si tamen abusivè non daretur, omittenda foret inclinatio capitis.

(2) Calix ex dispositione rubricarum generalium de ingressu sacerdotis ad altare deferri debet ab ipso sacerdote celebraturo, nisi subsit justa causa, ut senium aut infirmitas ratione cujus celebrans difficulter ad altare ascendit, et ab illo descendit: in tali casu, aut simili tolerari potest, ut calix præviè in altari paretur; sed extra talem causam peccat contra rubricam sacerdos calicem per se non deferens ad altare.

(5) Sacerdotes non debent deferre manutergium super calicem tam eundo, quàm redeundo ab altare S. R. C. 1. Sept. 1703.

ipsi cedere et inclinatione capitis tecti eum salutare.

Dum transit ante altare, ubi nullum habetur tabernaculum, vel vacuum, facie totaliter conversâ ad altare, caput tectum cruci inclinât.

Si transeat ante altare, ubi habetur tabernaculum actualiter continens corpus Christi et clausum, capite tecto, flectit uno genu.

Si Venerabile sit expositum, et ante illud transeat, flectit duobus genibus, genuflexus deponit birretum, et positâ dextrâ super bursam, capitis inclinatione profundâ adorât Sacramentum; postquam, repositis in capite birreto et manu dextrâ super calicem, surgit et procedit (1). Eodem modo se gerit, si transeat ante sacerdotem Eucharistiam ministrantem, nec expectandum est, donec sit perfecta communio (2).

Dum transit ante altare, in quo celebratur: ante consecrationem, vel post communionem, eodem modo agit, ac si non celebraretur; sed si fiat transitus infra consecrationem, flectit utroque genu, et deposito birreto, adorât SS. Sacramentum inclinatione capitis, dum elevantur species: absolutâ autem consecratione utriusque speciei, reponit birretum, surgit et abit. Si verò

(1) Genuflexio utroque genu est faciendâ à transeuntibus ante sanctissimum Sacramentum, etiamsi fuerit in pyxide patenter expositum. S. R. C. septimâ Maii 1746. sacerdos celebraturus missam privatam, dum transit ante altare, in quo est expositum sanctissimum Sacramentum, post factum adorationem flexis genibus, aperto capite, dum se erigit, caput cœperiat. S. R. C. 7. Septemb. 1638.

(2) Missam celebraturus transiens ante altare, ubi fit populi communio; non debet permanere genuflexus, donec et quousque terminetur communio. S. R. C. 5. Jun. 1698.

transeat inter consecrationem et communionem, flectit unico genu, tecto capite: quia corpus Christi est in altari, quasi in tabernaculo, ob corpus sacerdotis medium.

Tandem si transeat ante altare in quo sint reliquiæ solemniter expositæ, eodem modo agit, ac si non forent ibi. Excipe reliquias sanctissimæ crucis, ante quas flectendum est unico genu (1).

III. Cùm sacerdos pervenerit ad altare, in quo est celebrandum, stans ante infimum illius gradum, caput detegit et birretum ministro porrigit; tum repositâ manu dextrâ super bursam, si in altare sit solummodò crux, facit profundam corporis inclinationem (2); si verò sit in eo tabernaculum continens corpus Christi, flectit unico genu sine ulla capitis inclinatione tempore genuflexionis, nec post illam; adeòque errant qui post genuflexionem erecti, iterùm caput cruci flectunt, antequam ascendant ad altare. Erectus igitur ascendit ad medium altaris, statimque sistit calicem in cornu evangelii, et manibus junctis, caput cruci inclinat.

Hic observandum, quòd sacerdos quotiescumque accedit ad medium altaris, vel de medio illius discedit, debeat semper crucem salutare capitis incli-

(1) Si loco principe (*principali*) reliquia SS. crucis super altare fuerit exposita, tum transeuntes ante illam unico genu usque ad terram venerari debent; diversimodè verò solâ capitis inclinatione, si præfata reliquia recondita erit infra custodiam. S. R. C. 15. Septemb. 1736.

(2) Ita miss. de ingres. sac. ad alt. n. 2. ubi habet: *Et altari... profundè inclinât*; et clariùs in uno impresso Parisiis anno 1693, ubi loco citato dicitur *se inclinât*; adeòque non solùm caput, sed se, seu corpus suum.

natione , nisi ante dicessum , vel post accessum præcipiatur osculum altaris , vel inclinatio corporis ; cum enim osculum altaris , vel incurvatio corporis essentialiter involvat capitis inclinationem , per illa adimpletur rubrica.

IV. Factâ inclinatione , et depositâ dextrâ super altare , sinistrâ accipit bursam , è qua non demittit , sed dexterâ extrahit corporale ; bursam autem collocat sinistrâ manu erectam juxta tabellum secretarum in cornu evangelii ; extendit deindè duabus manibus corporale , exceptâ parte anteriori , quæ clausa manet usque ad offertorium : superimpositâ autem calici dexterâ , illum sinistrâ accipit per nodum , et locat intrâ corporale super lapidem consecratum , velumque illius decenter adaptat.

Hic notari debet 1.º quòd hostia semper debeat poni in eodem loco corporalis , hocque facilè observabitur , si sacerdotes plicantes corporale post communionem primò revolvant partem illius anteriorem , et secundò posteriorem ; extendentes verò ante missam , si primò extendant plicaturam superiorem versùs altare. 2.º Quòd si sint panes consecrandi in pyxide , debet celebrans pyxidem coopertam suo operculo vel pallâ collocare retrò post calicem , tamen super lapidem consecratum : si verò pyxis non adsit , ponit eas , antequam discedat de sacristia , super patenam cum majori hostia aliis superposita. Quod si patena eas continere non possit , eas allatas à ministro locat ante calicem in medio corporalis , si commodè possit , aliàs in parte laterali corporalis versùs cornu evangelii.

V. Collocato calice , manibus junctis ante pectus , caput cruci inclinât et accedit ad cornu epistolæ vertens in incessu totaliter latus sinistrum ad altare , quod semper est servandum , dum transit celebrans à medio altaris ad cornu epistolæ , vel à cornu evangelii ad medium altaris ; et è contrâ , dum à cornu epistolæ transit ad medium , vel à medio ad cornu evangelii , debet dextrum vertere ad altare ; hoc est , quòd in altari sit incedendum naturaliter , non verò lateraliter vel more cancrorum recedendo : stans autem in cornu epistolæ , facie versâ ad missale , illud aperit , et signacula disponit , si priùs non sint disposita. Deindè , manibus junctis , redit ad medium altaris , ubi statim caput cruci inclinât , et se vertens per suam dexteram , paululùmque recedens de medio altaris versùs cornu evangelii , ne tergum directè vertatur ad crucem , descendit extra ultimum altaris gradum ; vel si sint multi gradus diversi ordinis , extra ultimum primi ordinis : casu autem , quo altare non habeat gradus , est recedendum nihilominùs ab altare aliquantulùm.

ARTICULUS III.

Ab initio missæ usque ad introitum.

I. SACERDOS cùm descenderit , convertit se per suam sinistram ad altare , ubi factâ cruci profundâ corporis inclinatione (1) , si in altari non sit tabernaculum cum corpore Christi ; vel factâ genu unius flexione , si detur tabernaculum clau-

(1) Rubr. gen. de principio missæ , tit. III. n. 1.

sum et continens corpus Christi. Erectus, absque ulteriori capitis inclinatione, missam incipit se signans modo sequenti: dum tangit frontem, dicit altâ voce: *In nomine Patris, tangens pectus et Filii, ad tactum humeri sinistri et Spiritûs, dextri verò Sancti, Amen.* Facto signo crucis, non debet ampliùs sacerdos advertere quid fiat in alio altari, sed continuatè debet proseguì usque ad finem. Dixi, *facto signo crucis*, quia si nondum se signasset, et elevaretur Sacramentum in alio altari, flectere deberet duobus genibus supra infimum altaris gradum, donec peracta foret consecratio.

Hic diligentissimè observandum, quòd celebrans aliquid legens vel recitans in toto cursu sacrificii, non debeat corpus aut caput indecenter librare, seu agitare, sed se teneat immobilem, nisi rubricæ motum corporis aut capitis exigant.

II. Ut se signavit celebrans, eâdem voce clarâ (quæ tamen convenienter paulò remittitur, dum duo vel tres propè celebrant, ut evitetur mutua perturbatio) dicit antiphonam *Introibo*, et psalmum *Judica* alternatim cum ministro. Cavere hìc debet sacerdos ab abusu nimiùm communi, scilicet ne resumat suos versiculos, antequam absolverit minister (1). Cùm in fine psalmi dicit

(1) Satagendum est, ut minister sit debitè versatus in responsis, quæ ipsi obveniunt facienda, sitque corpore nitidus et honestè vestitus; hoc enim exigit dignitas mysterii: hinc turpe est quotidie videre ministros in responsis ita balbutientes, ut præcisè prima et ultima verba proferant; pariter et videre nonnullos in altari ministrantes illotis facie et manibus, indiscriminatâ cæsarie, cum calceis ligneis et denuclatis cruribus. Reflectant sacerdotes, an tales ministros in mensa profana sibi servire paterentur.

Gloria Patri, etc. caput cruci inclinât, usque ad *Spiritus sancto* inclusivè. Sub his verbis *adjutorium nostrum in nomine Domini*, se signat, distribuens verba, ut sequitur: dum tangitur frons, dicitur *adjutorium*: pectus *nostrum*: humerus sinister *in nomine*, et dexter *Domini*.

III. Dicturus *confiteor*, etc. se profundè inclinât corpore, manetque ita inclinatus, donec à ministro dictum sit *misereatur tui*, etc. et ipse responderit *amen*. In missa privata, sub his verbis *vobis fratres*, et *vos fratres*, nullatenus se vertit ad ministrum, seu ministros. Dum dicit *meâ culpâ*, *meâ culpâ*, *meâ maximâ culpâ*, appositâ ad corpus sinistrâ, uti sub signo crucis, ter percutit pectus dexterâ manu parùm incurvatâ, sed cujus quinque digiti sint sibi invicem uniti: hæc autem trina pectoris tunsio debet fieri modestè, et cum animi compunctione, non verò præcipitanter, nec cum violentia, seu strepitu. Infra confessionem ex parte ministri, qui se aliquantulum vertit ad celebrantem dicens *tibi pater et te pater*, stat celebrans, manibus junctis. Hâc finitâ, sacerdos absque ulla inclinatione, vel sui conversione ad ministrum, prosequitur *misereatur vestri*, etc. Dicens *indulgentiam* se signat in fronte; in pectore ad *absolutionem*; in humero sinistro ad *et remissionem*; in dextro ad *peccatorum nostrorum*; reliqua profert manibus junctis.

IV. Postea inclinât mediocriter corpus à versu, *Deus tu conversus vivificabis nos*, usque ad *oremus* inclusivè, quod ultimum verbum profert eâdem voce altâ, interim extendens, et statim conjungens manus lineâ rectâ, absque earum elevatione. Erectus ascendit ad altare, dicens submissâ voce,

aufer à nobis, etc.; debet autem ita lentè procedere, ut absolvatur illa oratio in ipso accessu ad medium altaris.

Ut pervenit ad medium altaris, mediocriter inclinat corpus, et manus junctas ponit super altare, sic ut parvorum digitorum extremitates sint contra antependium altaris, et extremitates digitorum annularium super ipso altare, absque ulla tamen separatione parvorum digitorum ab annularibus. Quòd si antependium altaris sit ita latum, ut positis extremitatibus parvorum digitorum contra antependium, extremitates aliorum non possint pertingere usque ad altare, tunc parvi digiti sunt locandi supra ipsum antependium; quia rubrica absolutè hìc præcipit manus esse ponendas supra altare, *hoc est benè observandum pro iisdem casibus sequentibus*.

Mediocriter igitur inclinatus, et manibus super altari, ut mox dictum est, secretà voce dicit: *Oramus te, Domine, per merita sanctorum tuorum*, dicens *quorum reliquiæ hìc sunt*, extensis manibus extra corporale, ita ut tota manus sit super altare, palmâ ipsi applicatâ, osculatur altare in medio, non verò ad latus, prout multi erroneè practicant.

Indè hìc regulam accipe pro aliis casibus, in quibus celebrans osculatur altare usque ad consecrationem, et à communionem ad finem missæ.

Post altaris osculum, se tardè erigens, et manus conjungens absolvit orationem prædictam. Sequentem etiam hìc accipe regulam: *Celebrans post osculum altaris, vel post sui inclinationem discessurus è loco, vel se ad populum versurus, aut genuflexurus, præviè debet se totaliter erigere, an-*

tequam incipiat incedere , vel ad populum se vertere , aut genuflectere.

ARTICULUS IV.

De introïtu usque ad orationes.

I. ABSOLUTA oratione , *Oramus te* , erectus , absque capitis inclinatione discedit de medio , et se transfert ad cornu epistolæ , ubi facie versâ ad missale , legit altâ voce introïtum , se signans sub illius initio à fronte ad pectus , et proseguens manibus junctis. Si in introïtu nomen *Jesu* proferatur , se paululùm convertit sacerdos ad medium absque ullo in pedibus motu , et caput inclinat cruci ; pariter si proferatur nomen *Mariæ* , vel sancti , cujus missa celebratur , aut fit specialis commemoratio , facienda est capitis inclinatio versùs librum : vide dicta , *parte 1. art. VI. n. II.*

Nota hïc , quòd infra missam , si sacerdos proferens præfata nomina , jam sit profundè vel mediocriter inclinatus , ulteriorem non debeat facere capitis inclinationem.

Post introïtum sequitur versus , *Gloria Patri* , etc. sub quo paululùm , ut suprâ , conversus ad medium , caput inclinat cruci usque ad *Spirituû Sancto* inclusivè : deindè facie reversâ ad missale , dicit : *Sicut erat* , et repetit introïtum usque ad primum versiculum , absque signo crucis. N. B. quòd celebrans hæc omnia dicere teneatur in cornu epistolæ : adeòque errant , qui memoriâ tenentes introïtum , illum recitant accedentes ad

cornu epistolæ, vel ab illo redeuntes ad medium altaris.

II. Absoluto integrè introïtu, manibus junctis, redit ad medium altaris, ubi caput cruci inclinatur, et deindè dicit, (non priùs) alternatim cum ministro *kyrie eleïson*. Hic cavendum à duobus erroribus sat ordinariis, quorum primus est eorum, qui dicunt *kyrie* continuatè et simul cum ministro: alter eorum, qui absolvunt *kyrie* in itinere antequam pervenerint ad medium altaris.

Si legendæ sint prophetiæ cum orationibus, dicto ultimo *kyrie* in medio altaris caput cruci inclinatur, et redit ad cornu epistolæ, ubi stans ante librum, et paululùm se convertens ad medium altaris, dicit voce clarâ *Oremus*, manus dividens lineam rectam absque earum elevatione, et statim eodem modo conjungens, caputque interim cruci inclinans: conversus ad librum prosequitur *flectamus genua*, et illicò manibus extensis super altari, ita ut missale sit in medio earum, flectit uno genu, nempe dextro usque ad terram; dicente autem ministro *levate*, se erigit, et manibus extensis recitat orationem, servans ea quæ dicentur articulo sequenti num. I.

Legens deindè prophetias et versus sequentes, ponit manus super librum, vel super altare, quibus finitis, redit ad medium altaris, et dicit *Gloria in excelsis*, si dicendum sit; accedens autem ad medium altaris, non statim caput inclinatur cruci, sed tantùm dum dicit *Deo post Gloria in excelsis*. Si hymnus angelicus omittatur, osculato altari, dicit *Dominus vobiscum*, ut mox referetur.

III. Si non sint legendæ prophetiæ, dictis *kyrie* incipit *Gloria in excelsis*, si debeat dici, modo sequenti: dicens *Gloria* extendit, et simul elevat manus usque ad altitudinem humerorum, (N. B.) absque oculorum elevatione; dum dicit *in excelsis*, eas demittit et jungit ante pectus; et quando dicit *Deo*, caput cruci inclinatur: adeòque ut hæc serventur, verba illa lentè sunt proferenda.

Junctis manibus, prosequitur exhibens cruci inclinationem capitis profundam, 1.º cum dicit *adoramus te*: 2.º *gratias agimus tibi*: 3.º *Jesu Christe*: 4.º *suscipe deprecationem nostram*: 5.º *Jesu Christe*. In fine dicens *cum sancto Spiritu* signat frontem et pectus; addens verò *in gloria Dei Patris, amen*, ducit manum ab humero sinistro ad dexterum, et absque prævia manuum junctione sub verbo *amen*, eas deponit super altare ad illud osculandum.

IV. Absoluto igitur, ut suprâ, hymno angelico, vel si non dicatur, post ultimum *kyrie* deponit utramque manum hinc et inde extra corporale super altare, quod osculatur in medio: totaliter erectus, et non antè, absque ulla capitis inclinatione, se vertit per suam dexteram ad populum, quem in ipso altaris medio salutatur dicendo *Dominus vobiscum*, interim extendens manus, lineâ rectâ, et illicò conjungens.

Nota hic 1.º quòd celebrans inclinatus, antequam se vertat ad populum, vel flectens, debeat præviè ad sui conversionem, vel genuflexionem se totaliter et perfectè erigere.

Nota 2.º quòd celebrans, sub *Dominus vobiscum*,

Orate fratres, etc. *debeat oculos figere ad terram, ne aspectu curioso offendat adstantes.*

Nota 3.^o *quòd manus sint disjungendæ et conjungendæ facie versâ ad populum, non verò in ipso conversionis actu.*

V. *Junctis manibus se vertens per suam sinistram transit ad cornu epistolæ, absque eo quòd redeat priùs ad medium altaris.*

ARTICULUS V.

De oratione usque ad offertorium.

I. SACERDOS constitutus in cornu epistolæ, parùm se vertit ad crucem sine motu pedum, et manus extendens ut habetur *art. præc. n. II.* (adeòque supponuntur priùs junctæ) easque statim conjungens cum capitis inclinatione dicit *Oremus*: tum reversus ad librum, extensis manibus, legit orationem. In fine si oratio concludatur his verbis: *per Dominum nostrum*, sub illis jungit manus, et se parùm vertens ad crucem, ei inclinat caput dicens *Jesum*. Facie reversâ ad missale, junctis manibus concludit orationem; sicque non sunt vertenda folia, nisi completè sit absoluta oratio. Quòd si oratio concludatur aliter, scilicet *qui vivis*, vel *qui tecum*, nulla fit inclinatio ad crucem, sed simpliciter manus junguntur ad illa verba, *in unitate*. Eodem modo recitantur aliæ orationes, si dentur recitandæ.

Infra collectas et epistolam meminerit celebrans inclinationis debitæ nominibus *Jesu*, *Mariæ*, et sanctorum, de quibus dictum est *parte 1. art. VI. n. II.*

II. Recitatis orationibus et depositis manibus supra missale, vel supra altare, altâ semper voce legit epistolam, in cujus fine vocem parùm inflectit, ut minister respondeat *Deo gratias*. Deindè eâdem voce prosequitur graduale, vel tractum, aut prosam: quòd si flectendum sit infra epistolam, deponit utramque manum supra altare, casu quo eas teneat supra librum.

III. Lectis epistolâ, et aliis quæ sequuntur, ipsemet celebrans transfert librum ad cornu evangelii inclinans caput, dum transit ante crucem, vel convenientiùs transfertur à ministro; et tunc sacerdos, finitâ epistolâ, accedit ad medium altaris, ubi absque manuum disjunctione, elevatis ad crucem oculis, et statim demissis, profundè inclinât corpus, tenens (N. B.) manus junctas ante pectus extra altare; hâc autem inclinatione formatâ, et non antè dicit submissâ voce: *Munda cor meum*, et *Jube, Domine, benedicere* cum responso, quâ oratione integrè recitatâ, erectus, absque inclinatione capitis, transit ad cornu evangelii.

Nota hîc 1.^o *in elevatione oculorum, quæ præcipitur ante Munda cor meum, sub oblatione panis et vini, et postea pluries, caput non esse elevandum; adeoque quando effigies crucifixi est ita eminentis in altari, ut absque indecora capitis erectione videri non possit, sufficit oculos in altum et mentem ad Deum elevare.*

Nota 2.^o *ad formandam inclinationem corporis profundam ad Munda cor meum, te igitur initio canonis, et te supplices post consecrationem, pedes ab antependio altaris esse removendos medio cir-*

citer passu; esseque tenendos juxta se invicem, seu absque extensione unius ultra alium.

IV. Stans in cornu evangelii paululùm per suam sinistram conversus ad populum (undè missale debet obliquè collocari, ita ut media pars ipsius respiciat cornu posterius altaris), manibus junctis, clarâ et intelligibili voce dicit *Dominus vobiscum*: deindè disjungens manus ponit sinistram super missale; pollice verò dexteræ facit (1) signum crucis super initium evangelii (2), dicens

(1) An sacer textus in silentio signari debeat? Circa hoc obscuræ sunt rubricæ et discordes. In rub. gen. de epist., etc. num. 2. sic legitur: *Deindè, seu dicto Dominus vobiscum, pollice dextræ manûs signo crucis signat primum librum super principio evangelii, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore et pectore dicens* *Sequentia*, etc. ubi verbum *dicens* videtur solùm afficere signa crucis in fronte, ore et pectore. Ast ibidem de missa solemnî, n. 5, signum crucis super librum à diacono formandum sub verbo *Sequentia* expressè præscribitur. Idem quoque cær. episc. præscribit episcopo legenti primum evangelium; verùm sub evangelio *S. Joannis*, idem cær. apertè habet altare esse in silentio signandum: verba illius accipe: *et facto signo crucis super altare, dicit* *Initium*, etc. His positis, putamus librum esse signandum sub verbo *initium* vel *sequentia*, prout innuitur in miss. rom. de miss. solem. et in cær. episc. de primo evangelio, præsertim cùm sensus uniformis dari possit verbis, miss. rom. de missa privata: nam verbum *dicens*, ut attendenti patebit, rectè referri potest ad signationem libri et celebrantis. Ex cær. tamen episc. excipi debet ultimum evangelium, quando altare signatur, et non textus sacer; tunc enim disponente dicto cær. crux formanda est super altare in silentio, et solummodò dicitur *initium*, dum crux in fronte imprimitur. Ratio disparitatis, hæc reddi potest, nempe quòd tactu libri sub signo crucis designetur textus sacer; adeòque optimè sonet tunc in ore sacerdotis *initium* vel *sequentia*, ut verbo simul et facto loquatur, at dum signatur altare, hæc ratio non militat: en, ut videtur, verus hujus diversæ rubricæ spiritus.

(2) Hæc verba *in illo tempore* non sunt de textu sacro;

initium vel *sequentia*, et prosequens, appositâ infra pectus sinistrâ, eodem pollice signat frontem, os et pectus, addens: *Sancti evangelii secundum N.*: vide dicta parte 1. art. VI. n. V. In fine, dicto *laus tibi Christe* à ministro, paululùm elevat utrâque manu missale sine cussino, seu pulpito, et inclinans etiam paululùm caput osculatur prima verba evangelii submissâ voce dicens: *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta, sine amen.* Ad exactiorem hujus rubricæ observationem poterit celebrans ante osculum ponere *per evangelica dicta*, et deindè post illud *deleantur*. Infra evangelium, dum profertur nomen Jesu, inclinatio est facienda versùs librum.

V. Si legenda sit passio, finitâ epistolâ, sacerdos manibus junctis vadit ad cornu evangelii (1), in medio altaris se convertens ad crucem, et exhibens ipsi reverentiam capitis; stans ut suprâ in cornu evangelii paululùm conversus ad populum, manibus junctis et clarâ voce legit passionem, caput inclinans ad nomen *Jesus* versùs librum; circa finem, dum præcipitur genuflexio, deponit manus super altare et flexis duobus genibus, tenens manus junctas ante pectus, per breve tempus moratur in meditatione passionis Christi. Surgens ponit manus super altare, et erectus, manibus denuò junctis, pergit legere. Ubi præcipitur recitatio *Munda cor meum*, accedit ad medium altaris, ubi elevatis, ut superiori num.,

adeoque in principio evangelii non sunt signanda; nec in fine osculanda; sed verba sequentia.

(1) Passio in missis privatis legi debet à celebrante in cornu evangelii. S. R. C. 4. Augusti 1663.

oculis ad crucem, profundè inclinatus corpore dicit, *Munda, Jube Domine*, etc.; quibus dictis, redit ad cornu evangelii, et absque ullo crucis signo, legit reliquum passionis. In fine sub his verbis, *per evangelica dicta*, osculatur initium partis, quæ recitatur post *Munda cor meum*.

VI. Finito evangelio, trahit missale cum pulpito, vel cussino versùs medium juxta corporale; constitutus autem in medio, statim absque prævia capitis inclinatione dicit *Credo* (si dicendum sit), extendens et elevans manus sub voce *Credo*, eas demittens et jungens ante pectus sub *in unum*, et caput inclinans sub *Deo*, manibus junctis prosequitur altà voce, iterùm caput inclinans ad crucem ad *et in Jesum Christum*. Dum legit *et incarnatus est*, manus deponit super altare, et incipit ita cautè flectere, ut genu dextrum tangat altaris scabellum, quando dicitur *et homo factus est*, sub quibus verbis, nec corpus nec caput est inclinandum. Erectus jungit manus, et prosequitur symbolum inclinans caput cruci sub verbo *adoratur*, sic ut caput sit rectum ad verbum sequens *et conglorificatur*. In fine, dum dicitur *et vitam venturi*, se signat ad frontem sub verbo *et*, ad pectus sub verbo *vitam*, ad humerum sinistrum sub voce *venturi*, et ad dextrum sub *sæculi Amen*.

VII. Formato crucis signo, absque manuum junctione sub verbo *amen*, vel si non dicatur symbolum, immediatè post accessum ad altaris medium, deponit manus super altare, et illud osculatur in medio. Erectus, manibus junctis, vertit se ad populum per suam dexteram; et oculis ad terram demissis dicit *Dominus vobiscum*, interea manus extendens absque earum elevatione

et statim rejuugens : tum per eamdem, quâ discessit, viam revertitur ad altare, ubi extendens manus, et jungens cum capitis inclinatione, dicit altâ voce *oremus*, quâ pergît legere offertorium manibus junctis.

ARTICULUS VI.

De offertorio usque ad lotionem manuum.

I. LECTO offertorio, utrâque manu accipit velum per extremitates posteriores, plicatque in medio altaris in tres aut quatuor partes, ita ut tamen pars exterior sola videatur; sic autem plicatum, collocat in cornu epistolæ extra corporale (1), juxta tabellas secretarum, id est, in parte posteriore altaris : tum depositâ sinistrâ super altare, dextrâ accipit calicem per nodum, et ponit in cornu epistolæ. Antequam autem ulterius progrediatur, utrâque manu extendit partem anteriorem corporalis, ita ut extremitas illius respondeat extremitati altaris.

II. Extenso corporali, manu sinistrâ super altare repositâ, dextrâ accipit pallam inter pollicem et indicem, et ponit in cornu epistolæ, ita ut partim sit supra velum, partim super altare, sicque commodius accipi possit : deindè accipit manu dextrâ patenam inter medium digitum et indicem, sic ut index et pollex sint supra patenam, cui, cùm est prope medium altaris, occurrens sinistrâ, apprehendit eam ambabus manibus, et tenet juxta circumferentiam pollice,

(1) Nihil debet poni super corporale, nisi calix et hostia.

indice et medio digito utriusque manûs, infrâ junctis manibus ab extremitate annularium et parvorum digitorum usque ad pulsum; sic autem patenam sustinens ante pectus, et non altiùs, elevat oculos ad crucem, dicens: *Suscipe, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus*, tum iis demissis legit supra tabulam *hanc immaculatam hostiam*, et reliquum; observando quòd visus non debeat dirigi ad tabulam per partem mediantem inter corpus et patenam, sed per locum medium inter patenam et altare.

III. Finitâ totaliter hâc oratione, facit signum crucis: undè tenens patenam ambabus manibus elevatam ab altari, quatuor circiter digitis, ita ut pollices sint supra patenam, indices contra illius circumferentiam et medii digiti cum aliis infrâ, ducit à medio circiter corporalis versùs partem anteriorem illius lineam rectam longitudine unius palmi (1), quam secat in medio aliâ transversâ ductâ à cornu evangelii versùs cornu epistolæ.

IV. Facto signo crucis, eodem modo tenens patenam ac sub signo crucis, deprimit partem posteriorem dictæ patenæ, et demittit ex ea patenam supra altare, intrâ lapidem consecratum, in medio crucis quam formavit, et circa medium partis anterioris corporalis, ut sacerdos possit illud osculari absque tactu hostiæ (2). Depositâ

(1) Palmus juxta mensuram italicam, constat 8. pollicibus.
Boudot Diction. verbo *Palmus*.

(2) Ad debitam suprâ dictorum observationem, nota 1.^o crucem cum patena esse ita accuratè formandam, ut medium dictæ crucis teneat locum, ubi hostia est deponenda.

Nota 2.^o quòd ut sit spatium sufficiens ad depositionem

hostiâ, tenens sinistram extra corporale super mensa altaris, ponit patenam in cornu epistolæ, sic ut media pars tegatur à corporali.

V. Si sint hostiæ consecrandæ in pyxide, eam discoöperit, antequam accipiat patenam cum hostia, seu post extensionem partis anterioris corporalis, et dicens *suscipe, sancte Pater*, dirigit intentionem suam ad illas, absque pyxidis elevatione; pyxidem autem reteggit immediatè, antequam discedat de medio altaris.

Si sint hostiæ consecrandæ super patenam (possunt poni super patenam, quando sunt pauciores quàm decem) offert illas cum hostia sacrificii superposita, et facto signo crucis, indice et pollice dextro accipit hostiam sacrificii, ponitque eam in loco suo supra corporale: tum tenens patenam ambabus manibus, juxta rubricam, illas demittit retrò post hostiam sacrificii: vel si altare non sit sat latum, ut facilè contingit, dum est portatile, debent poni ad latus hostiæ majoris versùs cornu evangelii.

Si sit magnus hostiarum cumulus, debent poni supra corporale ante initium missæ, vel saltem ante panis oblationem, et sacerdos simpliciter ad eas dirigit suam intentionem tempore oblationis.

VI. Si, factâ oblatione, adferantur hostiæ con-

hostiæ in anteriori quadrato corporalis, simul et ad osculum altaris absque tactu dictæ hostiæ, oporteat corporalia habere amplitudinem trium quartarum unius ulnæ ad minimum. Casu autem, quo corporale sufficientem non haberet amplitudinem, sic ut absque læsione hostiæ non possem commodè osculari altare, tunc illud paululùm ab extremitate altaris removerem.

secrandæ, non possunt ampliùs consecrari, nisi urgeat gravis necessitas, quo casu sufficit mentaliter eas offerre: nomine autem gravis necessitatis non venit commoditas communicantium: incepto autem semel canone, non possunt admitti hostiæ consecrandæ, etiam ad dandum viaticum; undè tunc præstat reservare infirmo aliquam partem ex hostia sacrificii.

VII. Depositâ patenâ subtùs corporale, manibus junctis, præmissâ cruci inclinatione, recedit de medio altaris. In cornu epistolæ, sinistrâ manu apprehendit calicem per nodum, et deposito cochleari parvo super altari, extremitatibus digitorum dextræ manûs premens purificatorium usque ad fundum calicis, et pollice partem ejusdem purificatorii contra cuppam exteriùs, illum circumcirca mundat paululùm ab altare elevatum, et versùs cornu epistolæ inclinatum; tum purificatorium deponit supra nodum calicis, ita ut pars illius pendeat intrâ nodum et pollicem, alia verò fluat supra ipsum pollicem.

VIII. Sic tenens sinistrâ calicem per nodum super altari, accipit ampullam vini (1) de manu ministri, qui ipsam ampullam osculatur, non autem manum celebrantis, et infundit vinum

(1) Vinum, ut sit materia apta ad sacrificium, debet esse vinum de vite, clarum, et in sua specie bonum: circa hoc tantus est rigor missalis rom. de defect. missæ, n. 4., ut de peccato mortali arguat celebrantem cum vino, quod incipit acescere vel corrumpi, undè damnabilis est admodum praxis eorum, qui viliori, quo possunt, pretio procurant vinum ad celebrationem sacrificii debile, turbidum, acre, et non rarò ita corruptum, ut prudenter dubitari posset de valore consecrationis illius. Sanè tali non uterentur in sua mensa; ad hoc seriò reflectant et ob turpitudinem talis parcimoniæ erubescant.

desuper purificatorium, ne guttulæ decidant in altare, vel pedem calicis, in ea quantitate, quæ uno haustu ordinario sumi possit: redditâ ampullâ ministro, manu dextrâ extensâ producit signum crucis super aquam dicens: *Deus, qui humanæ substantiæ*, etc., et accipiens cochlear parvum sumit in eo aquam, cujus aliquot guttulas infundit in vinum sub illis verbis: *Da nobis per hujus aquæ et vini mysterium*. Ad nomen *Jesus*, absque manuum junctioe, paululum conversus ad crucem illi caput inclinât. Si aquæ residuum sit in cochleari, illud refundit in ampullam: deindè primò abstergit cochlear, quod deponit juxta velum calicis; postea involvens indicem dextrum purificatorio, pariter abstergit guttulas dispersas intrâ cuppam calicis, vel supra partes illius exteriores, si dentur dispersæ.

IX. Absterso calice, relinquens illum in cornu epistolæ prope corporale, deponit purificatorium in duas partes plicatum supra partem patenæ, quæ non est tecta corporali, sic ut duæ extremitates purificatorii versentur circa extremitatem anteriorem corporalis. Deindè manibus junctis redit ad medium altaris, ubi statim caput cruci inclinât, et depositâ manu sinistrâ super mensam altaris extra corporale, dextrâ accipit calicem per nodum, quem allatum ad medium altaris, apprehendit sinistrâ per pedem; ita ut pollex sit supra pedem, et alii digiti infra: sic tenens calicem elevatum usque ad faciem, ita ut cuppa non elevetur ultra oculos, et non demittatur infra mentum, oculis defixis in crucem toto tempore oblationis, recitat secretò orationem, *offerimus*, etc., quâ totaliter finitâ,

et non antè , demittit oculos et calicem , quocum parùm ad altari elevato , ducit lineam rectam à posteriore parte corporalis usque ad hostiam exclusivè ; tum primam lineam secat aliâ lineâ rectâ ; sub hoc autem signo crucis tenet calicem non solâ manu dextrâ (N. B.) sed utrâque eodem modo , ac tempore oblationis.

X. Facto signo crucis , collocat calicem retrò post hostiam in medio crucis formatæ : sic tamen , ut maneat spatium unius magnæ hostiæ inter pedem calicis et hostiam sacrificii ; deindè depositâ extremitate manûs sinistrae in pedem calicis , dexterâ accipit pallam inter indicem et pollicem , et eâ tegit dictum calicem : tum junctis manibus , iisque supra altare positis , mediocriter corpore inclinatus , dicit secretò : *In spiritu humilitatis* ; postea erectus elevat oculos ad crucem expandens manus , easque simul elevans usque ad humeros , et statim jungens ante pectus cum oculorum demissione (*quam manuum junctionem* (N. B.) *semper facit quando aliquid est benedicturus , nisi aliter notetur*) ; interim autem seu elevans oculos ad crucem , voce eâdem secretâ dicit : *Veni , sanctificator* , et eos demittens manusque conjungens prosequitur *omnipotens , æterne Deus* ; tum sub *bene* ✕ *dic* , depositâ manu sinistra in mensam altaris extra corporale , dexterâ facit signum crucis supra calicem et hostiam , ut dictum est , *parte 1. art. VI. n. VI.*

Hic semel pro semper attende signum crucis esse perficiendum sub verbo , seu verbis hâc cruce ✕ notatis ; ad quod non est manus cum præcipatione movenda , sed verbum exigens crucem tardè proferendum : undè communiter errant sacerdotes , qui

ut signum crucis concordet cum verbo , vel abbreviant lineas crucis , vel ita celeriter manum agitant , ut videantur potiùs pulveres excutere ab oblatis , aut muscas abigere , quàm crucem formare : igitur (N. B.) crux est exactè et modestè exprimenda , et verbum ita cautè proferendum , ut simul absolvantur.

Nota deindè id quod crucem præcedit esse semper proferendum sub prima linea , et id quod sequitur sub secunda linea crucis.

ARTICULUS VII.

De lotionè manuum usque ad canonem.

I. DICTA oratione *Veni , Sanctificator* , junctis ante pectus manibus , et factâ cruci inclinatione , accedit ad cornu epistolæ , ubi latere sinistro ad altare verso , ministro aquam fundente , lavat manus , dicens *Lavabo* submissâ voce ; tenet autem celebrans sub infusione aquæ indices et pollices utriusque manûs sibi junctos , extensis aliis digitis , et manibus à se invicem separatis , ut aqua tangat tantùm extremitates utriusque pollicis et indicis ; proindèque errant manus lavantes integras. Fusâ aquâ , se convertit celebrans ad altaris parietum in eodem cornu epistolæ , et manu-tergio exsiccatur digitos ; quibus exsiccatis , manibus junctis pergit recitare psalmum *Lavabo* ; et cum dicit *Gloria Patri* , etc. , conversus ad crucem , sine motu in pedibus , eidem caput inclinatur usque ad *Spiritui Sancto* inclusivè. Tum reversâ facie ad altaris parietum , proseguitur *Sicut erat* , etc. , quo finito , revertitur ad medium altaris.

II. Stans in medio altaris manibus junctis, absque earum expansione, oculos elevat ad crucem et statim demittit, positisque manibus junctis supra altare, mediocriter corpore inclinatus, et non ante inclinationem, dicit submissâ voce *suscipe, sancta Trinitas, etc.*, non inclinans caput ad nomen *Mariæ*, quia jam est inclinatum: dicto *per Christum Dominum nostrum, Amen*, extensis manibus supra altare, illud osculatur in medio.

III. Erectus, absque capitis inclinatione, se convertit ad populum per suam dexteram; ad quem conversâ facie, dicit voce mediâ inter altam et submissam *Orate fratres*, extendens manus, ut dictum est *parte 1. art. VI. n. X.* et statim conjungens. Junctis manibus, per suam dexteram, seu perficiens circulum integrum, redit ad medium altaris, dicens submissâ voce: *ut meum ac vestrum sacrificium*, etc., conversus autem ad altare, crucem salutatur capitis inclinatione.

IV. Factâ cruci inclinatione, et dicto *Amen* submissâ voce post responsionem ministri; extensis manibus, et paululum conversus ad missale, sed ita ut calix remaneat medius inter extensas manus (*quod semper est servandum, extensis manibus in medio altaris*), legit submissâ voce, absque *oremus*, secretas orationes, servans in earum recitatione et conclusione junctiones manuum et capitis inclinationes, et alia, ut dictum est de orationibus ante epistolam; excepto, quòd celebrans post primam orationem, dum sunt plures, debeat sibi respondere *Amen*.

V. In fine conclusionis ultimæ Secretæ, non statim dicit *per omnia sæcula sæculorum*; sed

antè , manu dextrâ super altare positâ , sinistrâ quærit præfationem convenientem ; tum sinistrâ etiam super mensam altaris extra corporale depositâ , voce sonorâ dicit : *Per omnia sæcula sæculorum* ; deindè *Dominus vobiscum* ; tum dicens *sursùm corda* , elevat manus extensas usque ad altitudinem humerorum ; prosequens autem *gratias agamus Domino* , paululùm demittit manus eas jungens ante pectus ; sub voce *Deo* , elevat oculos ad crucem , statimque deprimit , et sub *nostro* caput cruci profundè inclinat.

VI. Postquam respondit minister *dignum et iustum est* , extensis manibus se convertit ad librum , nam versiculos præcedentes profert facie versâ ad medium altaris : et eâdem clarâ voce legit præfationem absque capitis inclinatione ad hæc verba : *per Christum Dominum nostrum*. In sola præfatione B. M. V. facienda est inclinatio capitis ad nomen *Mariæ* versùs librum , et alia sub nomine *Jesu* ad crucem.

Notandum hìc diligenter servanda esse commata in lectione præfationis : undè errant plurimi legentes *Domine sancte Pater* , — *omnipotens æterne Deus* ; sed legi debet et cantari *Domine sancte* , — *Pater omnipotens* , — *æterne Deus*.

VII. Finitâ præfatione , jungit celebrans manus ante pectus , mediocriterque inclinatus corpore , manusque junctas retinens ante pectus , et (N. B.) eas non deponens in altare , dicit voce mediâ inter altam et secretam *Sanctus* , *sanctus* , etc. , proindèque sacerdos ad dicendum *sanctus* debet vocem paululùm immutare , seu minuere. Ad *benedictus* se erigit ; et positâ manu sinistrâ infra pectus , se signat modo sequenti :

sub *benedictus* tangit frontem, sub *qui venit* pectus, ad *ly in nomine Domini* humerum sinistrum, et ad *hosana in excelsis* dextrum.

ARTICULUS VIII.

De canone usque ad consecrationem.

I. DICTO *sanctus* et depositâ manu dextrâ super altare, sinistrâ quærit canonem. Tum stans in medio altaris manibus junctis (1), sequentes gestus perficit antequam incipiat *te igitur*. 1.º Extendit manus et parùm eas elevat, scilicet ad humeros usque, et non ultra, simul et oculos tollit ad crucem. 2.º Oculos demittit et manus, easque jungit ante pectus. 3.º Profundè corpus inclinât, manusque junctas ponit super altare, et tunc solùm incipit *te igitur* submissâ voce, quâ

(1) Quamvis auctores sileant circa hanc manuum junctionem, attamen eam tenemus in lege fundatam; equidem de illa non fit mentio in rubricis generalibus, ubi simpliciter legitur: *Sacerdos stans ante medium altaris aliquantulum elevat manus, oculisque elevatis ad Deum, et sine mora devotè demissis, etc.*; ast in rubricis particularibus in ordine missæ ante canonem habetur: *Sacerdos extendens et jungens manus, etc.*, ubi verbum *extendere* apertè supponit manus præviè junctas; aliàs nulla manuum extensio fingi potest; nam cùm præviè ad exordium canonis celebrans habeat manum dexteram in altari extra corporale depositam, et aliâ manu vertat folia missalis, potiùs in elevatione manuum fieret earum contractio, quàm extensio: proindèque ad verificandam rubricam canoni præfixam necessariò manus jungi debent ante earum elevationem, ut simul habeatur earum extensio à rubricis præscripta. Ita etiam *Dumoulin* art. VIII. de canone missæ, his verbis: *La préface finie, le célébrant étant au milieu de l'autel, les mains jointes, et puis les ouvrant, etc.*

totus canon (N. B.) recitatur, his tribus verbis *nobis quoque peccatoribus* exceptis.

II. Cùm dicit *petimus*, absque erectione corporis hinc et inde ponit manus in mensam altaris extra corporale, moxque post dictum verbum *petimus* osculatur altare in medio; deindè erigit se, dicens *utì accepta habeas*: sub his verbis *et benedicas* jungit manus: tum depositâ sinistrâ, dextrâ manu extensâ producit tria signa crucis super calicem et hostiam, ut dictum est *parte 1. art. VI. n. IV.* de crucesignationibus: primum integrè perficit sub his duobus verbis *hæc ✕ dona*; secundum dicens *hæc ✕ munera*; tertium *hæc sancta ✕ sacrificia illibata*.

III. Post ultimum crucis signum, extensis manibus, absque earum prævia junctioe prosequitur: *In primis quæ tibi offerimus*, etc., ubi dicit *Papa nostro* ad litteram N. exprimit nomen Pontificis regnantis cum inclinatione capitis minima versùs librum. Sede pontificiâ vacante, illa verba *cum famulo tuo Papa nostro* omittuntur. Pariter ubi dicitur *et antistite* ad litteram N., exprimit nomen episcopi (N. B.) diœcesis, in qua celebrat, sed absque capitis inclinatione (1). Quòd si ignotum sit celebranti nomen episcopi alterius diœcesis, in qua celebrat, debet ad litteram N. mente intelligere episcopum loci: ad hoc autem ut in canone exprimatur nomen episcopi, non requiritur ut jam sit consecratus, sed sufficit ut sit electus, confirmatus et administrationem habeat. Defuncto episcopo, hæc verba *et*

(1) Ita *Merati*, p. 2. tit. 8. de canone miss. n. 5. cui accedunt *Gervasi* et *à Portu*.

antistite nostro N. pariter omittuntur. Episcopo celebrante, his verbis *et antistite nostro N.* substituit *et me indigno servo tuo.* Pontifex verò hæc verba unà cum famulo tuo *Papa nostro N. et antistite nostro N.* sic mutat dicens : unà cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti.

IV. Cùm celebrans dicit *memento Domine*, etc., quæ verba secretò proferri debent, elevat manus, elevando conjungens; tenens autem manus junctas ante pectus, vel ante faciem, non tamen ultra oculos, et ita ut sit modica distantia inter faciem et manus, capite parùm inclinato, oculis ad altare demissis, vel clausis humiliationis causâ, orat pro vivis in silentio, eorum nomina exprimendo, vel mente tantùm illa recensendo.

Hic ordo servandus est in illa oratione : primò debet sui memoriam facere : secundò eorum pro quibus ex justitia celebrat : tertio parentum, amicorum, et aliorum pro suo beneplacito : et ne sit populo fastidiosus, potest ante missam ordinem texere eorum, pro quibus intendit orare in *memento*, tum vivorum, tum defunctorum, et his locis generali contextu memoriam agere eorum, pro quibus orare proposuit ante missam. Cavendum tamen, ne memoria illa generalis fiat in instanti, sed debet celebrans orare pro illis spatio temporis, quod requiritur ad recitandam orationem dominicam sine salutatione angelica.

V. Finito *memento*, erigit caput, et manibus de more extensis, prosequitur canonem : ubi pervenit ad nomen *Mariæ* in oratione, quæ incipit *Communicantes*, inclinat caput versùs li-

brum (1); ad nomen verò *Jesu* versùs crucem. Quòd si missa celebretur, vel fiat in ea specialis commemoratio alicujus sancti, cujus nomen reperitur in prædicta oratione, vel aliis orationibus canonis, debet caput inclinare versùs librum, dum nomen illius profertur. In fine hujus orationis, dicens: *Per eundem Christum Dominum nostrum*, jungit manus sine capitis inclinatione.

VI. Antequam celebrans incipiat *hanc igitur oblationem*, ducit manus super oblata, eas aperiens incipiendo per parvos digitos, et deindè per annulares, medios et indices, pollicibus manentibus in modum crucis, non infra manus, sed supra, et ita ut pollex dexter sit supra sinistrum (2). Manibus autem sic expansis et distantibus à palla uno circiter pollice, tegit calicem et hostiam, adeòque extremitates manuum non debent duci ultra medium pallæ, incipit *hanc igitur oblationem*, in cujus fine ad hæc verba *per Christum*, etc. retrahit manus; eas jungens ante pectus sine capitis inclinatione.

VII. Manibus ut suprâ junctis, pergit *quam oblationem tu Deus in omnibus*: dicens, *quæsumus*, deponit sinistram super mensam altaris extra corporale, et dextrâ producit tria signa

(1) Excipe, nisi statua vel icon seu imago B. M. V. exstet in medio altaris; tunc enim inclinatio videtur facienda versùs medium altaris. Idem dicendum de inclinatione sanctis debita, dum eorum statua vel icon stat in eodem loco altaris. *Vide dicta hac super re parte 1. art. VI. n. II.*

(2) Manus sacerdotis, ad *hanc igitur oblationem*, debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextro super sinistrum in modum crucis supra manus; non verò infra manus. S. R. C. 4. Aug. 1663.

crucis, primum, sub verbo *bene ✕ dictam*: secundum, sub *adscri ✕ ptam*: tertium, sub *ra ✕ tam*; tum jungit (N. B.) manus (1) dicens *rationabilem, acceptabilemque facere digneris*. Incipiens ut nobis iterum deponit manum sinistram in altare, et dextram facit signum crucis ad *ly Cor ✕ pus* supra panem tantum, manum deprimens paululum versus illum, ita ut manus signans sit juxta altitudinem nodi calicis, *quod semper est servandum, quando sola hostia signatur*. Aliud facit supra solum calicem ad *ly San ✕ quis*, post quod elevans manus, eas jungit ante pectus, et prosequens manibus junctis *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi*, ad nomen *Jesu* præstat cruci inclinationem capitis profundam.

ARTICULUS IX.

De consecratione.

I. FACTA, ut prius, cruci inclinatione, antequam ulterius progrediatur, si calix remanens in medio impediatur, quominus celebrans possit legere verba consecrationis, quæ ob periculum errandi numquam memoriter proferri debent, removendus est parum versus cornu evangelii intra corporale; et postea si sint hostiæ consecrandæ

(1) Ità *Merati, Janssens* et alii plures: ratio autem hujus est, quod absoluto crucis signo sub verbo *ratam*, manus indecorè foret in aëre sustinenda usque ad signum crucis sub verbo *corpus*; quod inconveniens ut vitetur, manus sunt interea jungendæ; præsertim cum in toto cursu missæ celebrans aliquid benedicturus præviè debeat manus jungere.

in pyxide, hæc est discoöperienda; quamvis tamen, si ex inadvertentia non discoöperiatur, hostiæ sint consecratæ.

Quòd si calix remaneat in medio, quia non est obex lectioni formæ, tunc pyxis retrahi debet ad latus calicis versùs cornu epistolæ, ut materia consecranda sit propior sacerdoti consecranti.

II. His ita dispositis, celebrans dum dicit *qui pridie quàm pateretur*, extergit indices et pollices utriusque manûs supra corporale, non in medio, sed in partibus lateralibus illius circa extremitates: dicens autem, *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, indice sinistro premit extremitatem hostiæ contra altare, et ex opposito elevatam accipit inter indicem et pollicem dextrum, quam et statim apprehendit pollice et indice manûs sinistrae, tenetque eam per partem inferiorem, pollicibus et indicibus reclinatis, aliis digitis extensis et junctis ab extremitate eorundem digitorum usque ad pulsum; qui modus tenendi hostiam servari debet infra consecrationem, genuflexionem et illius elevationem.

III. Sic igitur tenens intrà corporale hostiam utrâque manu paululùm elevatâ ab altari, dum dicit *et elevatis oculis in cælum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, tollit ad crucem oculos. Post verbum *omnipotentem*, oculos demittit, et dicens: *item tibi gratias agens*, caput profundè inclinat: tum depositâ manu sinistra in medio partis anterioris corporalis, dicens *bene ✕ dixit*, facit super hostiam parvum signum crucis dextrâ, extensâ quoad omnes digitos, hoc est quòd

pollex et index debeant etiam extendi ad formandam crucem; ut autem debitè fiat hoc signum crucis, manus dextra signans hostiam debet erigi proportionaliter ad erectionem ipsius hostiæ, et extremitas parvi digiti hinc et indè parùm duci debet extra hostiam, ac sub secundo membro crucis prima linea secari debet cum extremitate ejusdem parvi digiti in medio hostiæ.

IV. Formato signo crucis, tenens hostiam ambabus manibus, ut priùs, prosequitur *fregit, deditque discipulis suis, dicens: accipite et manducate ex hoc omnes*, sub quibus verbis, remotis pedibus paululùm ab altaris antependio, et juxta se invicem positis absque extensione dextri ultra sinistrum, ponit utrumque cubitum super altare absque præjudicio junctionis manuum; et mediocriter inclinatus corpore et capite profert verba consecrationis: *Hoc est enim corpus meum*.

V. Sequentia diligenter sunt observanda inter consecrationem: 1.º Post hæc verba *manducate ex hoc omnes*, immediatè et sine mora celebrans debet subjungere: *hoc est enim corpus meum*, ne tollatur connexio inter hæc et præcedentia: undè errant qui hærent in silentio ante consecrationem ad formandam intentionem, vel ad renovandam attentionem; hæc enim in instanti renovari potest: illa verò semper adest, quamdiù aliquis non dicit formaliter *nolo consecrare*: hoc notent scrupulosi.

2.º Verba consecrationis debent proferri secretò; ita ut celebrans non audiatur à circumstantibus.

3.º Proferenda sunt distinctè et reverenter; distinctè, id est, absque elisione vel mutila-

tione ; reverenter , id est , absque ulla præcipatione .

4.º Proferri debent unico tractu , non respirando inter quodlibet verbum , v. g. dicendo *hoc* , deindè post morulam *est* et sic de aliis ; sed hæc propositio debet proferri ut in aliis orationibus .

5.º Proferri debent sine nimia aspiratione et anxietate : undè non minùs ridicula quàm vana est praxis eorum , qui magno nisu replent pulmones et os copioso aëre , quem postea explodunt gravi cum impetu ad formanda consecrationis verba .

6.º Non est movendum caput ad prolationem cujuslibet verbi , prout multi practicant .

7.º Os sacerdotis proferentis verba consecrationis debet distare ab hostia medio circiter pede , ne sacræ species halitu madefiant .

VI. Prolatâ formâ consecrationis , celebrans se erigit retrahens , ad facilitandam genuflexionem , manus ad partem anteriorem corporalis . Erectus perfectè , et non antea , habensque manus junctas cum sacris speciebus inter pollices et indices intrâ corporale , genu dextrum flectit reverenter usque ad terram , simul profundè demittens animum et adorans Sacramentum . A genuflectione erectus elevat lineâ rectâ hostiam intrâ corporale , sic ut hostia parùm excedat capitâ altitudinem , ut à populo videri et adorari possit , postquam autem sustinuit eam per unum vel aliud instans in ultimo puncto elevationis , eam religiosè demittit utrâque manu : dum hostia est propè corporale , retrahit ab illa sinistram , reponitque hostiam super altare , ubi erat ante

consecrationem solâ dextrâ, tribus ultimis digitis extensis, et non clausis (*hoc nota pro aliis vicibus*): deindè depositis manibus hinc et indè intrâ corporale, sic ut manus sint erectæ, hoc est quòd palmæ manuum non debeant poni super altare, sed tantùm pars lateralis juxta parvos digitos, *quod semper observari debet in depositione manuum super altare à consecratione usque ad communionem inclusivè*; positis igitur manibus supra altare, genuflectit et statim se erigit.

Hic notandum est, 1.º quòd celebrans post consecrationem hostiæ debeat figere continuò oculos super illam, tempore quo eam elevat et demittit, quod et præstari debet cuppæ calicis post illius consecrationem. 2.º Quòd pollices et indices non debeant ampliùs disjungi usque ad purificationes, nisi dum tangenda est hostia, vel particulæ sunt colligendæ è patena.

VII. Si fuerint hostiæ consecratæ in pyxide, erectus eam coöperit, et reponit in eodem loco corporalis, ubi erat ante consecrationem, nec sunt distribuendæ ante communionem sacerdotis, nisi in casu valdè urgenti, v. g. ad dandum viaticum moribundo in extremis constituto.

VIII. Coöpertâ pyxide, et in loco suo repositâ, vel si non sit in altari pyxis, celebrans immediatè postquam se erexit, depositâ manu sinistrâ supra pedem calicis, ad illius firmamen, et sic ut dictum pedem tantùm attingat extremitatibus trium ultimorum digitorum, dexterâ inter indicem et medium digitum accipit pallam de calice, et manu deponit (adeòque N. B. non projicit) in altare, utque faciliùs recipiatur, ita locanda est, ut pars

quiescat in mensa altaris; alia verò parùm elevatur supra velum.

Tum extergens indices et pollices à fragmentis hostiæ supra calicem, dicit *simili modo postquam cœnatum est*: deindè accipiens calicem per nodum infra cuppam ambabus manibus, et elevans ab altari quatuor circiter digitis, interim dicit, *accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas*: reposito calice in medio corporalis, sub his verbis, *item tibi gratias agens*, inclinat caput non ampliùs cruci, sed hostiæ consecratæ, ad quod advertendum pro aliis inclinationibus, quæ fiunt usquè ad communionem. Sub verbo *bene* ✕ *dixit*, tenens sinistrâ calicem per nodum, facit dexterâ parvum crucis signum supra calicem (1), qui ad hoc ab altari nullatenùs elevatur. Dicens: *deditque discipulis suis*, etc., dexterâ denuò apprehendit calicem per nodum, sinistrâ verò pedem, sic ut index et pollex juncti sint supra, et tres alii digiti infra pedem: ita tenens calicem parùm elevatum, ac parùm ad se inclinatum, depositisque interea supra altare cubitis, post hæc verba, *bibite ex eo omnes*, sine mora subjungit: *Hic est enim calix sanguinis mei*, etc., eadem servando ac in consecratione hostiæ; excepto quòd hæc forma non debeat absolvi unico tractu, sed levem faciendo pausam ad commata juxta modum legendi ordinarium.

IX. Prolatâ integrè formâ, et non antè, celebrans demittit modestè calicem super altare

(1) Utraque linea hujus crucis debet paululùm excedere labia calicis; adeòque extremitas parvi digiti aliquantulùm est pellenda ultra orificium calicis et æqualiter retrahenda sub utroque membro crucis.

absque prævia illius elevatione ; tum perfectè erectus et utrâque manu depositâ in corporale prope antependium , flectit genu dextrum usque ad terram , dicens , *hæc quotiescumque feceritis* , etc. Erectus tenens calicem uti infra consecrationem illius , reverenter et absque ulla præcipitatione eum elevat lineâ rectâ ; sic ut cuppa excedat altitudinem capitis sustinetque per brevissimum tempus in ultimo puncto elevationis , ut adoretur à populo. Reposito calice in altari , ubi erat antè , manu sinistrâ supra pedem positâ , seu potius tribus ultimis digitis illius , ut antè dictum est , inter indicem et medium digitum dexteræ accipit pallam , et eâ tegit calicem ; postea manibus super corporale positis , denuò genuflectione adorat Sacramentum.

ARTICULUS X.

A consecratione usque ad orationem dominicam.

I. CELEBRANS , genuflectione peractâ , erectus extendit manus , et tunc tantùm incipit : *Unde et memores*. Nota igitur hic errare eos , qui elevando calicem jam incipiunt præfatam orationem ; ita ut erecti statim signent oblata (1). Dum pervenit ad hæc verba , *de tuis donis ac datis* , sub illis jungit manus , non ponens pollicem dextrum

(1) Signa crucis , quæ ante consecrationem supra panem et vinum formantur , habent rationem benedictionis , seu adhibentur ad sanctificandam utriusque consecrationis materiam. Post consecrationem verò , considerari tantùm possunt ut signa commemorativa passionis Christi , repugnat enim corpus et sanguinem Christi his signationibus novam acquirere sanctificationem.

per modum crucis supra sinistrum , sed tenens indices et pollices sibi junctos ; moxque depositâ sinistrâ super corporale , dextrâ ter signat calicem simul et hostiam , dicens : *Hostiam ✕ puram , hostiam ✕ sanctam , hostiam ✕ immaculatam*. Duo insuper signa crucis efformat , unum supra hostiam tantum , dicens : *Panem ✕ sanctum vitæ æternæ* ; aliud supra calicem solum sub his aliis verbis : *Et calicem ✕ salutis perpetuæ*.

II. Manibus extensis , proseguitur *suprà quæ propitio* ; etc. , quâ finitâ oratione , junctis manibus , iisque super altare positis more solito , corporeque profundè inclinato , et non antè , dicit memoriter , ne indecorè elevat caput ad legendum , *supplices te rogamus* , etc. Dum pervenit ad hæc verba , *ex hac altaris participatione* , sub illis altare osculatur in medio , manibus hinc et indè extensis intrâ corporale , statimque se erigens jungit manus , dicens : *sacrosanctum Filii tui* ; et depositâ sinistrâ super corporale , signat hostiam tantum sub voce *cor ✕ pus* , et postea calicem solum , dum profert et *san ✕ guinem* , tum seipsum ; quare appositâ sinistrâ manu infra pectus , ita ut palma illius cœlum respiciat , dexterâ 1.^o tangit frontem sub *omni benedictione* ; 2.^o pectus sub *cœlesti* , cavens ne indice et pollice tangat casulam (1) ; 3.^o humerum sinistrum sub *et gratia* , tandem dexterum sub *repleamur*. Ad *ly per eundem Christum* , jungit manus absque capitibus inclinatione.

(1) Ad hoc videtur palma manûs dexteræ percutientis paululum elevanda sursùm , quod venit observandum sub *nobis quoque peccatoribus , agnus Dei et Domine non sum dignus*.

III. Cùm dicit voce omninò secretà, *memento etiam Domine*, extendit manus et mox jungit ante pectus; sed ita tardè, ut junctio manuum fiat sub prolotione horum verborum: *In somno pacis* (1), tum junctis manibus, iisque elevatis usque ad faciem, seu usque ad mentum circa os, absque tactu illius physico, inclinat paululùm caput (2) et oculis ad Sacramentum seu hostiam intentis, orat pro defunctis, uti dictum est de commemoratione vivorum.

Hâc peractâ oratione, erigit caput, et extensis manibus prosequitur *ipsis Domine*, etc., dicens *per eundem Christum Dominum nostrum*, jungit manus et caput profundè inclinat Sacramento; estque hæc sola conclusio, sub qua fieri debet inclinatio capitis, licèt in ea non proferatur nomen *Jesus*, idque ob specialem rubricæ ordinationem.

IV. Celebrans erectis corpore et capite, cùm dicit voce aliquantulùm elevatâ, seu mediâ inter altam et secretam, *nobis quoque peccatoribus*, depositâ manu sinistrâ in corporale, tribus ulti-

(1) Olim in tabellis seu dypticis nomina quorundam defunctorum describebantur, quæ hic à celebrante debebant exprimi, et ideò hæ litteræ N. et N. adhuc in missali cernuntur, interim usu generali jam negliguntur, et solum memoria defunctorum fit post hæc verba *in somno pacis*.

(2) Ita Dumouliu, *pratique des cérémonies de la sainte messe*, art. 9. num. 9. Si enim caput sit inclinandum sub *memento* vivorum coram imagine crucifixi; ob identitatem rationis et quidem à fortiori inclinari hic debet coram Sacramento corporis Christi: adde quòd absque hac inclinatione celebrans habens manus ante faciem elevatas commodè oculos in Sacramentum figere non posset.

mis digitis dexteræ percutit modestè, absque strepitu, et cum compunctione pectus, cavens ne indice et pollice tangat casulam: tum extensis manibus prosequitur submissâ voce *famulis tuis*, etc. (1) in fine ad *per Christum*, etc., jungit manus, sine inclinatione, et iisdem junctis subjungit: *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*; deindè depositâ sinistrâ super corporale, dexterâ ter signat calicem simul et hostiam subsequentibus verbis: *sancti ✕ ficas, vivi ✕ ficas, bene ✕ dicis et præstas nobis.*

V. Signatis calice et hostiâ, manum sinistram deponit super pedem calicis, et dexterâ inter indicem et medium digitum accipiens pallam, eam deponit more solito in cornu epistolæ, depositisque manibus in corporale, genuflectit.

VI. Erectus indice sinistro premit contra altare extremitatem hostiæ, quam accipit ex altera parte elevatam inter pollicem et indicem dexteræ; ope deindè pollicis et indicis sinistræ adaptat hostiam inter pollicem et indicem dextræ, non juxta extremitatem inferiorem, sed altius paulò infra medium ipsius hostiæ: sic autem tenens hostiam, illam transfert supra calicem cujus nodum apprehendit sinistrâ inter indicem et alios digitos: tum cum hostia format tria signa crucis supra calicem sub his verbis *per ip ✕ sum, et cum ip ✕ so, et in ip ✕ so.* Horum crucis signorum prima

(1) Sanctus *Joannes*, de quo in hac oratione, est *Baptista-S. Petrus* est exorcista, cujus fit Festum, sicut et *S. Marcellini*, 2. Junii. SS. *Felicitatis et Perpetuæ*, 7. Martii. *Anastasiæ*, 25. Decembris.

linea duci debet à labio posteriore calicis versùs labium anterius, et secunda à labio versùs cornu evangelii ad aliud versùs cornu epistolæ, hæque lineæ non debent duci solis pollice et indice, sed cum motu totius manûs : cavendumque ne hostia tangat labia calicis.

Deindè sub his verbis : *est tibi Deo Patri ✠ omnipotenti , in unitate Spiritûs ✠ Sancti* , facit alia duo crucis signa , quorum prima linea ducitur cum hostia à labio exteriori calicis motu recto versùs corpus celebrantis ; ita tamen ut hostia non exeat de corporali : secunda verò ducitur à cornu evangelii versùs cornu epistolæ , cavendo ne hostia ducatur super brachium. Postea celebrans defert hostiam supra calicem , quem elevat per nodum manu sinistrâ quatuor circiter digitis ab altari interim dicens *secretò omnis honor et gloria.*

VII. Reposito statim calice super altari , quem pergit tenere per nodum sinistrâ , deponit hostiam è sua dextera super corporale , ubi erat priùs. Tum extergit indices et pollices utriusque manûs supra calicem , depositâque mox sinistrâ in pedem calicis , pallâ ipsum coöperit ; ac depositâ utrâque manu super corporale , adorat genuflexione Sacramentum.

ARTICULUS XI.

Ab oratione dominica usque ad communionem.

I. CELEBRANS erectus , positis manibus , iisque erectis hinc et indè super corporale , dicit clarâ et intelligibili voce : *Per omnia sæcula sæculorum,*

cui respondet minister *amen* : tum eâdem voce dicit *oremus*, elevans manus, et eas jungens ante pectus cum capitis inclinatione maxima, manibusque junctis prosequitur, *præceptis salutaribus*, etc. usque ad *Pater noster*, sub quibus verbis extendit manus ante pectus, et iis extensis, oculisque (N. B.) ad Sacramentum defixis, absolvit orationem dominicam.

II. Responso à ministro : *Sed libera nos à malo*, subjungit celebrans voce secretâ *amen*, et tunc, non verò antè, accipit patenam et purificatorium simul inter pollicem unitum indici et alios digitos dexteræ manûs : è dextera deindè recipit solam patenam inter indicem unitum pollicis et medium digitum sinistræ, purificatorio remanente in dextera, quo abstergit partem concavam patenæ, non directè supra hostiam, sed intrâ corporale versùs cornu epistolæ : hæc autem fieri debent absque disjunctione pollicis et indicis utriusque manûs.

III. Abstersâ patenâ, ponit purificatorium in duas partes plicatum extra corporale, sed juxta illud in cornu epistolæ, uti erat ante orationem dominicam ; et postea è manu sinistra accipit patenam inter indicem unitum pollicis et medium digitum dexteræ ; eamque, scilicet patenam, deponit, non super corporale, sed super purificatorium erectam, sic ut pars ipsius concava respiciat hostiam, et dextra manus sit super patenam elevata ab altari ; sinistrâque interim positâ super corporale, dicit secretò *libera nos, quæsumus*, etc., inclinans caput versùs librum ad nomen *Mariæ*.

IV. Celebrans dicturus, *da propitius pacem*, apponit priùs sinistram infra pectus, ita ut palma ipsius cœlum respiciat, ut suprâ dictum est, elevatque ex altari patenam dexterâ, quacum se signat: undè dicens *da propitius*, patenâ physicè tangit frontem; secundò pectus, proferens *pacem*; tertio humerum sinistrum, pronuntians *in diebus*; quartò dexterum, dicens *nostris*; et deindè tacens osculatur partem superiorem patenæ (1).

V. Completo signo crucis, submittit patenam hostiæ, eam inducens supra indice sinistro à pollice disjuncto, et interea dicens *ut ope misericordiæ*, etc.; patenam autem sic collocat in medio corporalis, ut pars posterior ipsius patenæ sit elevata supra pedem calicis ad hoc, ut fragmenta, si quæ restent in corporali, non adhæreant dorso ipsius.

VI. Hostiâ supra patenam collocatâ, et finitâ oratione *libera nos, quæsumus*, celebrans ponit manum sinistram in pedem calicis more solito, et dexterâ amovet pallam ab eo, depositisque manibus in corporale, adoret genuflexione Sacramentum; tum erectus indice sinistro conduit hostiam ad oram patenæ versùs cornu epistolæ, quam accipit inter pollicem et indicem dextræ manûs, eamque solâ manu dextrâ transfert supra calicem; ubi similiter apprehensa pollice et indice sinistro, dividitur in duas partes, quantum fieri potest, æquales, incipiendo fractionem per partem hostiæ superiorem, interimque dicit secretò celebrans: *per eundem Dominum nostrum*

(1) Patena ad missam in extremitate seu ora patenæ congruentius est osculanda. S. R. C. 24. Jul. 1685.

Jesum Christum Filium tuum, caput inclinans ad ly *Jesum* (1). Deindè mediam hostiæ partem, quam tenet inter pollicem et indicem dextræ, ponit super patenam; de altera verò hostiæ medietate, quæ sustinetur manu sinistrâ super calicem, frangit pollice et indice dextro particulam è parte illius inferiore (2) proseguens *qui tecum vivit et regnat*, et dicens *in unitate Spiritus San-*

(1) Ita *Janssens* P. I. tit. X. n. 25. Equidem nonnulli, inter quos *Cavalieri* tom. 5. de infractione hostiæ n. 10. in fine, tenent caput hic non esse inclinandum, quia, inquiunt, sacerdos tunc habet hostiam præ manibus; sed hæc ratio in nullo jure liturgico fundatur, nec in rubricis, nec in decretis S. R. C.; adeoque standum videtur rubricis, quæ generaliter et absque exceptione præscribunt inclinationem capitis ad prolationem SS. nominis *Jesu*; præsertim, et hoc funditus evertit rationem allatam, cum celebrans habens sacram hostiam præ manibus post illius consecrationem, nihilominus flectere teneatur.

(2) Pars inferior hostiæ præcidi debet, non autem superior, quando dicitur: *Pax Domini sit semper vobiscum*. S. R. C. 4. Aug. 1665. Hac super re diligenter observari debet hostiam magna cum præcautione esse dividendam, ne celebrans in hoc agens præcipitanter, extra calicem, aut forsitan extra corporale, sacras emittat particulas. Ad facilitandam hanc fractionem aliqui ducunt lineolam cum patena post orationem *libera nos*, antequam in eam inducant hostiam; sed hoc medium non videtur conveniens, tum propter quamdam in hoc indecentiam, tum quia extremitate patenæ, tolli possunt quædam hostiæ fragmenta; adeoque melius sit admodum levis hæc linea; ne hostia abeat in duas partes tempore sacrificii. Hac in re medium aptius et securius est si confectores hostiarum in laminis ferreis curent imprimi lineolam, quæ formetur in medio hostiæ et aliam parvam transversè pro separatione partis, quæ immittitur in calicem. Hoc medio removetur omne inconveniens et sacerdotes celebraturi ab omni cura et operatione circa panem sacrificii liberantur.

cti Deus, ponit partem hostiæ, quam habet in sinistra manu super patenam juxta alteram, ita ut appareat rotunda : postea apprehenso calice per nodum sinistrâ, et tenens semper particulam hostiæ dextrâ super os calicis, dicit clarâ voce : *Per omnia sæcula sæculorum*. Responso *amen*, prosequitur *pax ✠ Domini sit ✠ semper vobis ✠ cum*, faciens tria signa crucis cum particula à labio ad labium calicis, movens non tantum indicem et pollicem, sed totam manum : primum crucis signum absolvi debet sub his duobus verbis, *pax Domini*, secundum sub *sit semper*, et tertium sub *vobiscum* ; proindèque hæc verba lentè sunt proferenda.

VII. Responso à ministro *et cum spiritu tuo*, demittit ex indice et pollice particulam in sanguinem, dicens secretò : *Hæc commixtio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, etc. , et interea extergit indices et pollices utriusque manus supra calicem, inclinatque caput Sacramento ad nomen Jesu.

Finitâ hæc oratione, et non antè, positâ sinistrâ super pedem calicis, eum pallâ coöperit, et Sacramentum genuflexus adorat.

VIII. Erectus, capite tantum profundè inclinato, et non corpore, manibusque junctis ante pectus, et non supra altare, dicit clarâ voce ter, *agnus Dei qui tollis peccata mundi*, proferens *peccata mundi*, disjungit manus et sinistram ponit super corporale, ubi hæret toto tempore trium *agnus Dei* ; dextrâ verò, seu potius tribus ultimis digitis illius, ter percutit modestè et sine strepitu pectus, scilicet bis dicens *miserere nobis*, et tertio sub his verbis, *dona nobis pacem*. Post quamlibet

pectoris tusionem retrahit ita morosè dextram à pectore, ut non ponatur super altare sub secundo et tertio *agnus Dei*, sitque in continuo motu.

IX. Post *agnus Dei*, celebrans jungit manus, easque junctas ponit super altare, et corpus mediocriter inclinatur; adeòque situs corporis hic est mutandus; inclinatio enim capitis, quæ habebatur sub *agnus Dei*, debet converti in inclinationem corporis mediocrem; sic igitur constitutus recitat secretâ voce orationem *Domine Jesu Christe*, et duas alias sequentes, non inclinans caput ad nomen *Jesus*, quod in illis exprimitur; quia jam est inclinatus.

ARTICULUS XII.

De communione sacerdotis.

I. TRIBUS dictis orationibus, de quibus suprâ, ponens utramque manum hinc et inde supra corporale, se erigit, et deindè Sacramentum genuflexione adoratur, à qua se relevans, dicit secretò: *Panem cœlestem accipiam et nomen Domini invocabo*, quo dicto, accipit hostiam in silentio; porrò modus in accipienda hostia, sequens est servandus: indice sinistro debet tangere in medio utramque partem hostiæ, et eam pellere ad extremitatem patenæ versùs cornu epistolæ; deindè utramque extremitatem ambarum particularum hostiæ pulsam paululùm extra limites patenæ accipit inter indicem et pollicem dexteræ manûs; tum hostiam ita adaptat inter pollicem et indicem sinistræ, ut appareat integra, patenamque, ope manûs dexteræ, ponit inter indicem et medium

digitum sinistræ, ac deindè paululùm eâdem dexterâ removet calicem de medio corporalis versùs cornu epistolæ, ut postea possit commodiùs deponere patenam, et colligere fragmenta hostiæ.

II. Remoto calice, tenens manum sinistrum ab altari quatuor circiter digitis elevatam, et in eadem manu patenam, necnon inter indicem et pollicem hostiam per partes ipsius inferiores, corpore mediocriter inclinato, sic ut facies celebrantis directè medium altaris respiciat, et pedes sint juxta se invicem, dicit ter *Domine, non sum dignus* voce mediâ inter altam et submissam, terque sub præfatis verbis, tribus ultimis dexteræ digitis pectus sine strepitu percutit, ad quod debet palmam invertere, ne casulam tangat cum pollice et indice. Reliquum, nempè *ut intres sub tectum meum*, etc., recitat voce secretâ, interim retrahens manum à pectore, sed ita lentè et cautè, ut non deponatur in altare sitque in motu continuo.

Errant igitur 1.º ii, qui sub *Domine non sum dignus*, deponunt sinistram in loco, ubi priùs locata fuit hostia cum periculo extrahendi particulas fortè ibi residuas. 2.º li, qui deponunt cubitum sinistrum super altare, vel qui se convertunt per suam dexteram, ita ut facies non maneat versa ad medium altaris, aut qui pedem dexterum extendunt ultra sinistrum. 3.º Et turpiùs ii, quos non pudet omittere hæc verba *ut intres sub tectum meum*, dicentes absque interruptione, *Domine, non sum dignus : Domine, non sum dignus*.

III. His dictis, erectus, ope dexteræ, conductâ unâ parte hostiæ super alteram ad faciliorem

illius sumptionem, recipit ambas particulas dictæ hostiæ inter pollicem et indicem dexteræ per partes earum inferiores: tum tenens patenam sinistrâ manu paululùm ab altari elevatâ, facit cum corpore Christi signum crucis supra se; quare de super patenam elevat primò hostiam ad altitudinem oris circiter, moxque demittit ad pectus, dicens secretò: *Corpus Domini nostri Jesu Christi*, et caput inclinans ad nomen *Jesu*: erecto capite, elevat hostiam ad medium primæ lineæ, et deindè facit membrum transversum crucis à sua sinistra in dexteram, dicens *custodiat animam*, etc. Hic cavendum ne infra signum crucis hostia exeat è limitibus patenæ.

IV. Post signum crucis, deponit utrumque cubitum in altare, et statim absque oratione ulla, vel meditatione, aut actu doloris; nisi fortè fieret memor peccati mortalis, sumit reverenter hostiam super linguam, sine illius extensione ultra labia, et cavens ne dentibus illam conterat: tum deponit patenam in medium corporalis, non in locum ubi posita priùs fuit hostia, sed retrò, extensisque digitis supra eam, se erigit, et manibus junctis ante faciem, sic ut distent paululùm à facie, quiescit, inclinato paululùm capite (1), in meditatione sanctissimi Sacramenti, v. g. spatio unius *Pater*.

Hic nota hostiam simul et semel et non per partes statim, quoad fieri potest, esse ex ore in corpus transmittendam. Quòd si hostia, vel illius partes palato adhæreant, non ope digiti, sed linguæ, debet celebrans eas modestè avellere.

(1) Ita *Merati*, tom. 1. p. II. tit. X. n. XIV.

V. Post brevem meditationem, sive hostia totaliter transierit, sive non, prosequitur: undè si adsint hostiæ consecratæ super corporale positæ, et nullus sit infra missam communicandus, factâ prius genuflexione, eas reponit in pyxidem, et pyxidem locat in tabernaculo, renovatâ genuflexione, antequam claudatur.

VI. Repositâ pyxide intrâ tabernaculum, vel si non sit pyxis reponenda, immediatè post summptionem hostiæ; ponit sinistram super pedem calicis, et dexterâ tollit pallam ab eo, interea dicens, antequam flectat, voce submissâ: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi:* hîcque desinit orare, et depositis manibus super corporale, genuflectit. Erectus accipit patenam et statim, si in ea particulæ sensibles appareant, immittat eas in calicem, ope pollicis et indicis manûs dexteræ, seu potius puppâ horum digitorum, aut alterius ex illis prout aptius judicabit; hoc enim medio efficacius providebitur his particulis, quæ in aliarum perquisitione avolare possent. Deindè *inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quæ sint in eo*, visibilia; casu autem quo nil residui ex hostia, sive in patena, sive in corporali videatur, uti communiter accidit, quamvis rubrica in illo supposito nihil sacerdoti præscribat agendum, nihilominus cum quædam particulæ minutiores oculos fugitare possint, et super hoc nulla cura censerî debeat superflua, ulterius poterit deponere patenam in corporale retrò post locum, ubi jacuit hostia, deindè extremitatem corporalis circa medium sinistrâ accipiet et revolvit supra patenam, ac dexterâ retrò percutiet semel et iterum, ut

hoc medio aptissimo quidquid superest, decidat in patenam. Tum demisso corporali, inter indicem et medium digitum sinistræ, cautè patenam accipit, cavens ne capiat per partem, in qua apparent particulæ; eamque, nempe patenam, transfert super calicem adductum dextrâ manu ad medium corporalis, seu depositum in quadrato illius medio non autem in loco, ubi hostia jacuit: deindè si quæ particulæ sensibilibus appareant super patena, ut suprâ immittendæ sunt in calicem, et postea superficies patenæ est perfricanda per circuitum indice dextro seu parte internâ illius digiti, hoc est, eâ parte indicis dextri, quæ respondet directè indici sinistro junctis manibus, indicemque tandem et pollicem dextræ manûs extergit etiam supra calicem. Nota 1.º solis pollice et indice dextris esse colligendas particulas, non verò sinistris. 2.º Calicem non esse cum strepitu percutiendum patenâ, ut ex illa decidant fragmenta.

VII. Post extersionem patenæ, deponit manum sinistram, in qua retinet patenam inter indicem et medium digitum, super corporale versùs cornu evangelii, dextrâ verò nodum calicis accipit, et tunc tantùm prosequitur *calicem salutaris accipiam*, etc. tenens manum sinistram et calicem super altare (1).

(1) Quamvis rubrica in ordine missæ videatur insinuare, quòd celebrans infra collectionem particularum debeat absolvere orationem, de qua suprâ, attamen rubricæ generales missali præfixæ apertè tradunt modum, quem num. 7. insinuavimus, et hic modus videtur præferendus, cum sub eo oratio fiat extra omnem actionem, adeoque attentius.

Hic adverti potest nonnullos esse emendandos, qui fricant et perfricant patenam, ut ab ea tollant particulas ibi ordi-

VIII. Finitâ totaliter oratione *calicem*, etc., sinistra manente super altare, celebrans se signat cum calice, cavens ne sub prima linea crucis calix transcendat oculorum altitudinem; sub prima linea crucis, dicit secretò *sanguis Domini nostri Jesu Christi*, inclinans caput Sacramento ad nomen *Jesu*; sub secunda verò ab humero sinistro in dexterum addit *custodiat animam meam*, etc.

IX. Facto signo crucis, manu sinistra supponit patenam calici, seu eam tenet subtùs mentum, absque eo quòd illud tangat, et è calice ori admoto reverenter sumit sanguinem cum particula hostiæ triplici haustu, antequam retrahat calicem ab ore; deindè inverso paululùm calice supra patenam, ut reliquiæ sanguinis veniant ad labium illius, iterùm ori admovet, ut præfatas sumat reliquias. Advertat hic celebrans, ne indecorè nimium elevet caput retrorsùm, vertendo faciem directè ad cœlum. Quòd si particula remaneat in fundo calicis, congruentiùs sumitur cum prima purificatione, quàm si antè illa trahatur indice, quamvis utrumque modum approbet rubrica.

nariè non existentes; quique in siccando calice, illum vertunt et revertunt, omni manùs conatu fundum et labia illius prementes cum purificatorio: hæc enim praxis non modò est superflua, sed et noxia vasis sacris, quorum inauratio brevi tollitur, et adstantibus fastidiosa; adeòque in his sicuti in aliis unicuique sufficiat diligentia moralis.

ARTICULUS XIII.

De communione fidelium.

I. SUMPTO sanguine, si qui sint communicandi, celebrans deponit patenam super corporale; et calicem versùs cornu evangelii, quem pallà, et non patenà, tegit, adoratoque genuflexione Sacramento, particulas consecratas ponit in pyxidem, nisi paucae sint; in hoc enim casu poni possunt super patenam.

Si verò non sint hostiæ consecratæ super corporale, tecto calice, aperit tabernaculum, et statim post illius apertionem, antequam extrahatur pyxis, genuflectit: deindè erectus accipit pyxidem, et ab ea tollit operculum; quo ablato, priùs factâ confessione à ministro, iterùm genuflectit, et erectus se convertens ad populum per suam dexteram, parùm se retrahit de medio altaris versùs cornu evangelii, ubi facie versà ad populum, dicit clarâ voce, manibus junctis, *miseretur*, etc., semper in plurali, licèt unus foret communicandus: deindè dicturus *indulgentiam*, etc., apponit sinistram infra pectus, ita ut palma cœlum respiciat, et dextrâ facit signum crucis super populum.

II. Reversus ad altare per viam, quâ ab illo discessit, adorat Sacramentum genuflexione; tum accipit nodum pyxidis inter indicem sinistrae et alios digitos, adaptatque purificatorium (quod convenientiùs debet esse aliud à purificatorio calicis) inter nodum pyxidis et indicem sinistram, ita ut media pars purificatorii pendeat

super pollicem et indicem; dextrâ verò manu accipit unam speciem, quam tenet parùm elevatam supra labia pyxidis, ut videatur à populo; et conversus ad communicandos in medio altaris, vel parùm è medio altaris versùs cornu evangelii, si sit expositum Sacramentum, dicit clarâ voce *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, et eâdem voce ter subjungit *Domine non sum dignus*, etc., oculis Sacramento intentis.

III. His tertio repetitis, et non antè, descendit ex altari per gradus medios, non verò per laterales, etiamsi communio foret distribuenda in cornu evangelii vel epistolæ, prout non rarò contingit apud moniales, et accedit ad eos, qui respondent cornu epistolæ: antequam autem cuilibet distribuat communionem, debet cum hostia facere signum crucis, cujus prima linea formari debet ducendo hostiam in altum, et eandem demittendo versùs fundum pyxidis; deindè hæc prima linea secari debet circa medium aliâ lineâ, quæ non excedat limites pyxidis; interea, id est, sub signo crucis, dicit sacerdos *corpus Domini nostri Jesu Christi*, etc. (1) Hic adverte ante distributionem cujuslibet speciei crucem exactè, modestè ac reverenter esse formandam, nonobstante magno communicantium numero; adeoque irreverentiam erga tantum Sacramentum multos committere, qui,

(1) Si sacra hostia fortuitò incideret in sinum mulieris, extrahenda foret non ab ipso sacerdote, sed ab ipsa muliere, quæ in illo casu se ipsam propriâ manu communicaret; idque propter indecentiam, quæ in illius extractione ex parte sacerdotis haberetur: ita communiter auctores.

ut accelerent distributionem, nullam crucis speciem efformant cum Sacramento, sed simplicem et præcipitem manûs gesticulationem.

IV. Si digiti sacerdotis eucharistiam distribuentis salivâ humefiant, antequam eos abstergat; debet videre nûm particulæ illis adhæreant; quòd si aliquæ appareant adhærentes, sunt demittendæ in pyxidem perfricatione ipsorum digitorum, qui postea sunt abstergendi; sed ne fortè à digitis avellantur particulæ visu non apprehensæ, antequam pollex et index à saliva mundentur, debent priûs uniri, et stante eorum junctioe, purificatorio abstergi.

V. Omnibus communicatis, celebrans revertitur ad altare nihil dicens, et tenens pollicem dextrum unitum indici supra pyxidem, quam deponit super altare, statimque genuflectit: erectus eam coöperit, reponit intrâ tabernaculum, iterùm genuflectit, et claudit tabernaculum.

VI. Post distributionem eucharistiæ, non dat benedictionem, neque cum pyxide, neque manu: quia, inquit rubrica, daturus est in fine missæ, scilicet, post *ite missa est*.

VII. Quantùm ad distributionem eucharistiæ extra missam; imprimis si fiat immediatè ante vel post missam, peragitur à sacerdote induto casulâ et aliis vestibus sacris; si verò omninò extra missam, sacerdos eucharistiam distributurus, lotis^m manibus se induit superpelliceo et stolâ coloris officii (1). Interea minister defert ad altare bursam cum^m corporali, purificatorium et

(1) Rituale rom. de ord. ministrandi S. communionem.

clavem tabernaculi, accenditque duos cereos; quo facto sacerdos procedit ad altare manibus junctis et capite coöperto. Cùm ad altare ascenderit sub debitis reverentiis, extendit corporale, aperit deindè tabernaculum, et præviâ genuflexione accipit S. pyxidem, deponit eam super corporale, ac ab ea tollit operculum, quod locat extra corporale in cornu epistolæ. Dicto autem *confiteor* à ministro, iterùm flectit, et conversus ad populum paulò extra medium altaris juxta cornu evangelii dicit *misereatur*, aliaque observat, ut suprâ dictum est.

Omnibus communicatis redit ad altare, ubi depositâ sacrâ pyxide, et factâ genuflexione, erectus, manibus junctis, laudabiliter dicit antiphonam: *O sacrum convivium*, etc., deindè *ÿ. panem de cælo*, etc., cui minister r̄. *omne delectamentum*, etc., tum subjungit orationem: *Deus, qui nobis sub Sacramento*, etc. Tempore paschali additur antiphonæ et versui *alleluia*, et prædictæ orationi substituitur sequens:

OREMUS.

Spiritus nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos Sacramentis paschalibus satiasti, tuâ facias pietate concordēs. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quoad versus: *Domine exaudi orationem meam, Dominus vobiscum*, qui leguntur in rituali romano collectæ præmittendi, videntur sublatis dec. S. R. C. sub data 16 Junii 1663.; sed cùm in ritualibus post illam datam impressis et approbatis inveniantur, liceat unicuique illos omit-

tere, vel ponere, præsertim, cùm hujus rubrica sit tantùm directiva.

His peractis, aut si præfatas preces negligat sacerdos, post genuflexionem in altari erectus, antequam descendat, dat communicatis et adstantibus benedictionem, ut sequitur: in medio altaris manus junctas ante pectus extendit et elevat usque ad humeros, tollens simul oculos ad crucem et interim dicens voce clarâ *benedictio Dei omnipotentis*; demissis autem mox oculis, junctisque manibus ante pectus, ac factâ cruci inclinatione capitis, se vertit ad populum, quem signat manu dextrâ, addens *Patris et Filii* ✠ sub prima crucis linea, et *Spiritus Sancti* sub secunda; hæc verò verba *descendat super vos et maneat semper*, manibus junctis absolvit, et responso *amen* à ministro, descendit ex altari, saltem si præviè ad benedictionem populi plicaverit corporale, aliàs se denuò vertit ad altare, et factâ cruci inclinatione, plicat illud, reponit in bursam, quam jacentem demittit in medio altaris, et super eam deindè ponit purificatorium et clavem tabernaculi, quæ omnia à ministro, extinctis cereis, deferuntur ad sacristiam (1).

Restant circa præsentem materiam notanda sequentia: 1.º nunquàm dari benedictionem cum

(1) Circa communionem, quæ distribuitur ante missam, quæri hic potest utrùm censeri debeat fieri extra missam, et consequenter an danda sit benedictio cum manu ante exordium sacrificii? R. Si constaret S. communionem referretur, esse in ecclesia mansuros ad finem sacrificii, omittenda videtur hæc benedictio, et illa sufficere, quæ datur in fine missæ; ast si lateat sacerdotem, nùm sint mansuri, benedicendi sunt, ut suprâ, ab ipso antequam descendit ad incipiendam missam.

pyxide post distributam eucharistiam (1) : undè praxis contraria ut abusus est tollenda. Excipitur tamen casus viatici, post cujus distributionem danda est benedictio infirmis cum Sacramento, sed semper in silentio, seu absque oratione, ut notat *rit. rom.*

2.º In paramentis nigris nunquam licet ministrare eucharistiam; nisi hostiæ parvæ sint consecratæ infra missam de *requiem*, et earum fiat distributio immediatè post communionem celebrantis (2). Hinc si eucharistia petatur infra communionem celebrantis ex hostiis præconsecratis, differenda est illius distributio post missam, et ante illam celebrans debet dimittere vestimenta nigra, et accipere stolam coloris convenientis.

Hâc occasione, obiter etiam adverti potest illicitum esse dare benedictionem post missas de *requiem* cum humerali nigro; cumque hæc vestis locum non inveniat inter vestes sacras, humeralia nigri coloris è sacra suppellectili sunt eliminanda.

3.º Cùm in forma quâ utitur minister distribuens eucharistiam, nomen *Jesus* reperiatur; difficultas est, utrùm sacerdos toties quoties dicit *corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat*, etc., debeat caput Sacramento inclinare? Ad quod

(1) Id apertè eruitur è rubricis, idque tenent omnes auctores.

(2) In paramentis nigris non ministratur eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis præconsecratis, extrahendo pyxidem è custodia; potest tamen ministrari per modum sacrificii, prout est, quando fidelibus præbetur communio cum particulis infra eandem missam consecratis.

S. R. C. 2. Sept. 1741.

respondendum videtur negativè : quia in diurna eucharistiæ distributione, frequens et, ut ita dicam, continua inclinationis renovatio aliquid indecori habet. Ideòque circa debitum hujus inclinationis silent auctores, ususque generalis eam negligit.

VIII. Duo supersunt in hoc articulo discutienda, scilicet de renovatione specierum, et purificatione pyxidis. Circa primum sic præscribit rit. rom. (1). *Sanctissimæ eucharistiæ particulas frequenter renovabit, nempè parochus, vel alter, cui hæc cura demandata est; hostiæ verò seu particulæ consecrandæ sint recentes, et ubi eas consecravit, veteres primò distribuat, vel sumat.* Quanto autem tempore id agendum sit, ut frequenter fieri censeatur? exprimit sequens decretum S. R. C. (2) *apud Cavalieri: Renovatio SS. Sacramenti debet fieri quâlibet dominicâ, seu singulis octo diebus, non autem differri ad quindecim dies.* Idem habet S. Carolus; decrevit quippè (3), ut octavo quoque die ad summum fieret renovatio SS. specierum, præsertim quintâ quâque feriâ (si commodè fieri poterit), in qua Christus Dominus hoc magnum Sacramentum instituit. Item conc. Tyronense 4. sub anno 798. (4) præscribit, ut de septimo in septimum semper mutetur, nempè Sacramentum. *Innoc. verò IV. (5) in sua Bulla ad legatum in regno Cypri, pontificatûs sui anno 11., indul-*

(1) De Sacramento euchar.

(2) 5. Aprilis 1573. Hoc decretum non legitur in indice *Merati*, nec *Spiridionis Talu*, quod ingerit dubium circa illius authenticitatem.

(3) Act. 4. (4) Cap. 4. (5) Num. 7.

get sequentibus ritum ecclesiæ Græcæ, ut dicta renovatio fiat singulis quindenis, quod et confirmavit *Clem. VIII.* (1). In iustrictione pastorali illustrissimi episcopi Iprensis nuper edita sic statuitur: *Hostiæ consecratæ... post quindecim dies ut summum (quod in locis humidis præsertim pluvioso aut hiemali tempore frequentius fieri debet) unâ cum minutissimis fragmentorum particulis, quæ in ciborio remanserunt, à sacerdote consumantur, et in ipsum ciborium, aut pyxidem ab illis fragmentis ac particulis mundatam novæ hostiæ consecratæ reponantur, nec unquam illæ recentes cum his vetustioribus misceantur.* Ex his sequentia deduco:

1.º Si non sit præceptum ubique vicens, ut SS. species renoventur singulis octiduis, saltem ubique illius observatio est laudabilis, cum tendat in honorem SS. Sacramenti, quod exigit conservari sub speciebus minimè alteratis. 2.º Sepositâ causâ particulari, v. g. humiditatis ratione loci vel temporis, immunes ab irreverentia videntur, qui singulis quindecim diebus dictas species renovant. Si enim id toleretur in nonnullis locis; quare sepositâ lege particulari, in aliis locis id tolerari non posset. 3.º Qui ultra mensem differunt, non videntur immunes à periculo gravis irreverentiæ erga tantum Sacramentum; maximè quando tempus est humidum: indèque erui potest, quid dicendum de iis, qui bis aut ter solum in anno hanc renovationem peragunt. Tandem hic observandum venit in renovatione specierum novas veteribus substituendas oportere esse recentiores, aliàs inconvenienti non mederetur.

(1) *Constit. Sanctissimus* sub data 31. Aug. 1595.

Circa secundum : toties pyxis est purificanda , quoties fit specierum renovatio ; eadem quippè ratio militat in utroque casu. Porro sic pyxis est purificanda : sumpto sanguine , celebrans adaperit tabernaculum , genuflectit , accipit pyxidem , et deponit eam in corporale , ac ablato operculo genuflexionem renovat. Erectus , si sint species integræ , eas distribuit , si sint communicandi , aliàs reverenter illas sumit : quòd si magnus nimis foret numerus hostiarum consumendarum , ita ut sacerdos decenter omnes sumere non posset , curandum foret ut sacerdotes antè celebrantes partem ex illis successivè sumerent , aut saltem idem sacerdos in sacrificiis præcedentibus deberet per partes sumere. Consumptis speciebus omnibus , sinistra tenens pyxidem desuper calicem elevatam , indice dextro emittit è cuppa pyxidis particulas residuas in calicem sumendas cum purificatione. Postea cum pyxide accipit primam purificationem , quam post modicam illius agitationem , intrà cuppam , refundit in calicem. Ad majorem securitatem , idem agere potest cum secunda purificatione. Tum pyxidem interiùs purificatorio perfectè exsiccat , ac species novas , si sint consecratæ , in illam immitit. Advertat hìc sacerdos post abstersionem pyxidis purificatorium modo inverso esse plicandum , ac post missam seponendum , ne ultrà serviat donec lotum fuerit. Meretur etiam notari in renovatione remonstrantiæ veterem hostiam non esse dividendam , ut per partes distribuaturs fidelibus , sed consumendam à sacerdote ; ita *S. Carolus* (1) ; idque , ne rudis et simplex

(1) In synodo Nicænesana 11.

populus offendatur, dum videt non rotundam et integram sibi porrigi speciem.

ARTICULUS XIV.

De purificatione calicis usque ad finem.

I. Si nullus sit communicandus, sumpto sanguine ut suprâ, celebrans demittit manum sinistram super corporale in illa patenam retinens; dextrâ verò statim porrigit ministro calicem super altare versùs cornu epistolæ, id est intrâ limites altaris, absque eo quòd calix tangat illud; interim dicens secretò: *Quod ore sumpsimus*, etc., casu tamen quo minister commodè vinum infundere non possit in calicem super altare elevatum, celebrans illi demittat extrâ altare; debet autem infundi in calicem eadem moraliter vini quantitas, ac priùs infusa fuit pro consecratione (1).

(1) In festo Nativitatis Domini sub prima et secunda missa, celebrans non purificat calicem; sed sumpto diligentius sanguine, calicem in corporale depositum patenâ et pallâ cõperit, dicens *quod ore sumpsimus*; deindè abluit digitos in aliquo vase mundo, vitreo aut argenteo, et more solito recitat orationem *corpus tuum*, etc., abstersis autem digitis, vas illud locat in parte posteriore altaris juxta corporale, et pallâ cõperit, ac prope illud deponit purificatorium. Redux ad medium altaris, plicat partem corporalis anteriorem, et super eam ponit calicem, quem velo tegit. Caveat in secunda et tertia missa, ne ad offertorium ante vini infusionem purificatorio calicem extergat, neque illum extra corporale deponat, vinumque ita cautè infundat, ut guttæ ad labia calicis non resiliant. In tertia missa, peractâ purificatione et ablutione, abstersisque digitis, ablutionem è vasculo immittit in calicem, ac eam sumit vel separatim, sed convenientius, cum ablutione digitorum tertiæ missæ. Postea os purificatorio exsiccat et deindè calicem et vasculum.

II. Celebrans vinum à ministro infusum circummovet intrà calicem, ut fiat illius permixtio cum particulis consecratis, quæ remanent in eo; tum interim suppositâ mento patenâ, admovet semel vel bis ad summùm ori calicem, et sumit primam purificationem per partem calicis, per quam sumpsit sanguinem.

III. Sumptâ hâc purificatione, depositâque patenâ super corporale parùm versùs cornu evangelii, accipit cuppam calicis, quam complectitur tribus ultimis digitis utriusque manûs, indices verò et pollices tenet supra calicem unitos; tum factâ capitis inclinatione cruci, transit ad cornu epistolæ (1), ubi minister primò infundit vinum super indices et pollices, et deindè, aquam. Hujus purificationis quantitatem sacerdotis est determinare paululùm calicem extolendo. Hic advertunt auctores (2) absque indulto pontificio secundam purificationem cum solo vino fieri non posse. Post infusionem vini et aquæ, celebrans collocat calicem super altare extra, sed prope corporale, ut postea stans in medio commodiùs accipere queat; deindè manens facie versâ ad altare juxta calicem, digitos purificatorio extergit, in-

(1) *Janssens* habet hanc secundam purificationem esse accipiendam à celebrante in ipso altaris medio: sed decentia ob præsentiam crucifixi, vel SS. Sacramenti videtur transitum à medio altaris requirere; sicque habet usus generalis optimus legum interpret; sicque practicandum communiter tradunt auctores, inter quos *Dumoulin*, *Merati*, *Cavalieri*, etc.

(2) Inter alios *Merati*, tom. I. pag. 2. tit. 10. n. 21. et *Cavalieri*, tom. V. cap. 24. n. 27. Hæc ratio eorum asserti reddi potest, quòd purificatio in utraque materia sit rubricis positivè præcepta, in quibus solus Pontifex potest dispensare.

terim secretò dicens : *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, etc.* (1).

IV. Abstergis totaliter digitis, et absolutâ oratione *corpus tuum, etc.* deponit purificatorium in mensam altaris extra corporale, et manibus junctis, sic ut pollex dexter sit super sinistro in modum crucis, revertitur ad medium altaris, ubi caput cruci inclinât, tum accipit purificatorium, cujus medium ponit supra indicem manûs sinistrae, ita ut utraque pars purificatorii hinc et indè pendeat supra manum : apponens autem illud infra mentum, dexterâ accipit calicem per nodum, quem semel tantùm ori admovet ad sumendam purificationem.

V. Deposito calice in medio corporalis, celebrans tenens hinc et indè purificatorium utrâque manu, eo labia sua abstergit : deindè sinistra tenens calicem elevatum per nodum, illumque paululùm inclinans versùs cornu epistolæ, inprimis abstergit purificatorio partem cuppæ, per quam sumpsit sacrum sanguinem, premens exterius cum pollice partem purificatorii, et intrâ cuppam aliis digitis aliam illius partem. Tunc im-

(1) In rubricis generalibus videtur præscribi, ut initium orationis *corpus tuum, etc.*, ponatur, dum celebrans incipit purificatorio digitos extergere, sicque communiter auctores explicant præsentem rubricam, quæ sic jacet in missali.... *et abstergit purificatorio interim dicens corpus, etc.*, ubi *interim* juxta auctores afficit verba præcedentia immediatè. In rubricis verò, quæ habentur in ordine missæ, præscribitur orationem præfatam esse incipiendam à celebrante, dum discedit è medio accepturus vinum et aquam in purificationem, sic ut eam absolvat infra ablutionem et abstersionem digitorum : fas est unicuique hunc vel alium modum sequi prælibitu, cùm utrumque referat missale.

mittens purificatorium ad fundum cuppæ similiter illum exsiccat semel, aut bis tantum gyRANDO calicem.

Postea deponit calicem in medio corporalis, quem vestit purificatorio, sic ut extremitates hinc et inde pendeant: super illud autem successive apponit cochlear, ubi est in usu, patenam et pallam: tum calicem sic vestitum sistit in cornu epistolæ, moxque utraq̃ue manu plicat corporale, 1.º vertens modestè partem illius anteriorem, ut innotescat aliis, in qua parte illius fuerit locata hostia, 2.º partem posteriorem, 3.º lateralem jacentem juxta cornu epistolæ, et 4.º aliam: accipiens autem sinistrâ bursam, dextrâ in eam ita cautè immittit corporale; ut in illo nullus ulterior fiat plicatus, sicque ut extremitas seu fimbria partis ultimò plicatæ versetur juxta bursæ aperturam: repositâ jam bursâ in cornu evangelii, dextrâ accipit calicem, quem locat in medio altaris, tegitque velo, et super velum tandem ponit bursam, ita ut illius apertura respiciat altare.

Nota 1.º quòd infra communionem numquam sacerdos debeat lambere digitos: 2.º quòd antequam discedat à medio altaris pro secunda purificatione, non debet pollicibus extergere labia calicis: 3.º quòd si post purificationes videat aliquam particulam hostiæ, debeat illam sumere; quia sumptio illa est moraliter una actio cum communionem.

VI. Vestito calice, manibus junctis, salutatur crucem inclinatione capitis, et se sistit in cornu epistolæ, ubi altâ voce, manibus junctis, legit communionem. Hinc errant, qui communionem

memoriter recitant in medio altaris accelerationis causâ, vel incedendo.

VII. Dictâ communionem, redit ad medium, et depositis manibus in altare, illud osculatur in medio, conversusque ad populum, extendens et jungens manus, dicit clarâ voce *Dominus vobiscum*, moxque absque reditu ad medium altaris, iterum se transfert ad cornu epistolæ, ibique legit orationes, omnia observans, ut dictum est ante epistolam.

In quadragesima, si dicenda sit oratio super populum, dicitur sub distincto *oremus*, distinctâque conclusione, et eodem modo, ac aliæ orationes; hoc solum excepto, quod sub his quinque verbis, *oremus, humiliare capita vestra Deo*, debeat celebrans aperire manus et eas jungere, caputque inclinatum ad crucem sustinere; tum conversus ad missale, extensis manibus, recitat orationem more solito.

VIII. Finitâ totaliter conclusione ultimæ orationis, et responso *amen*, N. B. et non antè, claudit librum; ita ut apertura libri respiciat medium altaris: excipe, nisi legendum sit evangelium proprium; in hoc enim casu relinquatur missale apertum, transferturque à sacerdote, vel melius à ministro ad cornu evangelii.

IX. Clauso missali, si sit claudendum, aliàs relicto aperto, manibus junctis transit celebrans ad medium, ubi depositis manibus super altare, illud osculatur in medio: deindè erectus, manibus junctis, absque inclinatione capitis se convertit ad populum, quem, extendens et jungens manus, salutatur, dicens: *Dominus vobiscum*; tum junctis manibus, facie semper versâ ad popu-

lum, subjungit *ite, missa est*: si verò dicendum sit *benedicamus Domino*, illud dicitur facie ad altare reversâ, et non antè.

X. Celebrans post *ite, missa est* vel *benedicamus*, ponit manus junctas super altare, et capite inclinato, N. B. non corpore, dicit secretò: *placeat tibi, sancta Trinitas*, etc., quo totaliter dicto, extensis manibus hinc et indè super altare, illud osculatur in medio; tum erigens se jungit manus, et jam erectus dicit clarâ voce: *benedicat vos omnipotens Deus*, interim elevans oculos ad crucem, extendens simul et elevans manus usque ad humeros; deindè demissis oculis, manibus junctis ante pectus, et factâ cruci capitis inclinatione, se convertit ad populum, cui, appositâ palmâ sinistrae manûs ad corpus immediatè infra pectus, et non inferius N. B., dextrâ extensâ et erectâ benedicit, dicens voce altâ et tardâ sub signo crucis: *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus*; sub prima linea, quæ formatur à facie ad pectus, dicitur *Pater* in principio, et *Filius* in illius termino; et sub secunda, quæ formatur ab humero sinistro in dexterum, et *Spiritus Sanctus*.

XI. Post benedictionem populi, se vertens per suam dexteram, seu perficiens circulum integrum, accedit manibus junctis ante pectus ad cornu evangelii, ubi stans obliquè, seu parùm conversus ad populum per suam sinistram, dicit clarâ voce *Dominus vobiscum*, deindè depositâ in altare sinistrâ, extremitate pollicis dextri signum crucis parvum format super altare, vel tabelam pro libitu; si autem in libro legat evangelium proprium, sinistram deponit in librum,

et signat initium sacri textûs, vertens palmam dexteræ manûs extensæ ad librum, vel ad altare seu tabellam, si hæc signentur. Tum admotâ ad corpus palmâ sinistræ manûs, pollice se signat in fronte, ore et pectore. Pro formandis his crucibus, vide dicta part. 1. art. XI. num. V. Si celebrans signet altare, tunc id facit in silentio et solùm incipit *initium S. Evangelii secundum Joannem*, dum crucem facit in sui fronte (1). Si verò signet librum vel tabellam, hæc signans, dicit *initium* vel *sequentia*, et reliquum sub sui signatione. Super hoc vide antè dicta part. 2. art. V. n. IV. (2).

Dum se signavit celebrans, manibus junctis et voce sonorâ legit evangelium; et cùm in evangelio *S. Joannis* dicit *et Verbum caro factum est*, extensis et depositis manibus in altare, flectit genu dextro, nullatenus se vertens ad crucem, nec caput inclinans. Idem agit in tertia missa Nativitatis Domini sub his verbis, *et procidentes adcraverunt eum*. A genuflexione relevatus, manibus junctis, in ipso cornu altaris evangelium absolvit. In fine ultimi evangelii, quodquod sit, celebrans nec osculatur illius initium, nec dicit *per evangelica dicta*, etc., si usus fuerit missali,

(1) Cær. episc. de missa solem. in fine.

(2) Super evangelio *S. Joannis* notari potest, in festo dicti Joannis evangelistæ, et infra illius octavam, dum fit illius commemoratio in missa sicut et in festo ejusdem ante portam latinam 6.tâ Maii, caput esse inclinandum ad prolationem illius nominis, seu dicendo *secundum Joannem*. Item in festo *S. Joannis Baptistæ*, et infra illius octavam ac in festo decollationis ejusdem, ut suprâ caput esse inclinandum dum nomen illius profertur in corpore evangelii *fuit homo... cui nomen erat Joannes*.

illud claudit, sic ut dorsum respiciat cornu evangelii, et folia medium altaris.

XII. Absoluto totaliter evangelio, et non antè, accedit manibus junctis ad medium altaris, ubi præviè inclinato cruci capite, sinistrâ accipit calicem per nodum, et dexterâ bursæ superimpositâ, descendit ex altari, se vertens per suam dexteram, paulùmque recedens de medio versùs cornu evangelii, ne terga directè cruci vertat.

XIII. Ut descendit ex infimo gradu altaris, se convertit ad illud per suam sinistram, et ibi facit cruci profundam capitis inclinationem, non autem corporis, (N. B.) rubrica enim expressis verbis habet tit. de bened. in fine miss. n. 6. *descendit ante infimum gradum altaris.... et vertens se ad illud, caput inclinat.* Si autem sit tabernaculum clausum, et continens corpus Christi, flectit uno genu. Erectus et non antè accipit à ministro birretum, caput tegit, et repositâ dextrâ supra bursam, passu gravi, oculis ad terram demissis, præcedente ministro, redit ad sacristiam genuflectens, vel caput inclinans ante altaria, ut dictum est in accessu ad altare: dum autem tegit celebrans caput suum, incipit antiphonam *trium puerorum* ritu duplici, vel semiduplici, prout missa celebrata exigit, et subjungit canticum, *benedicite omnia opera*, etc., quod attentè et devotè absolvit inter vestium depositionem, seu postea: neque illius loco substituendæ sunt aliæ preces.

XIV. Redux in sacristiam, capite coöperto, salutatur crucem capitis inclinatione; et deindè sacerdotes ibi præsentés; tum deponit vestes ordine retrogrado, osculans crucem manipuli,

stolæ et amictûs. Depositis modestè sacris vestibus, celebrans non debet se statim ad fabulas vel negotia profana convertere; sed memor quòd sit tabernaculum vivens corporis et sanguinis Christi; qui integer perseverat in ipso, donec sint species alteratæ, tenetur aliquod temporis spatium impendere in oratione, vel gratiarum actione super tam immenso divinæ bonitatis beneficio.

Quando adest legatum, quòd sacerdos antequam discedat ab altari, recitet aliquod evangelium, psalmum seu orationem post terminatam missam, debet oneri sibi injuncto satisfacere post finem missæ exutis vestibus sacerdotalibus et cum sola cotta in altari (1) vel in sacristia, et sic legatum adimplere (2).

Finaliter hìc restat observandum, quòd celebrans, dum infra missam extrahitur ab alio sacerdote pyxis ad distribuendam eucharistiam, si tunc sit in medio altaris, debeat paululùm recedere versùs cornu evangelii, et flectere duobus genibus (3) cum inclinatione capitis, dum movetur SS. Sacramentum. Si verò stet in cornu evangelii vel epistolæ, ibi eodem modo flectat. Verùm hìc etiam advertat sacerdos eucharistiam distributurus, expectandum esse ad accipiendam S. pyxidem, momentum, quo celebrans absol-

(1) Cotta juxta *Spiridionem Talu* est rochetum, quo prælati sæculares, vel superpelliceum, quo sacerdotes utuntur sub tibus vestes sacras in celebratione, et de quibus meminit missale in rub. gen. de præp. sacerdot. n. 1. Cùm autem in his partibus prædictæ vestis non fiat usus, saltem communiter, hinc præfatæ preces recitandæ veniunt cum simplici veste talari. (2) S. R. C. 51. Aug. 1669.

(3) Ita *Merati*, p. 2. t. VIII. de can. miss. n. 25. *Tonellius* l. 2. tit. 8. rub. 4. n. 4. et plures alii.

vit aliquam orationem ; aliàs si inchoasset epistolam , evangelium , et maximè orationem canonis , præstat ipsum non flectere quàm missam abrumpere cum fractione sensûs orationum.

ARTICULUS XV.

De servandis coram Venerabili exposito in remonstrantia vel pyxide , aut coram reliquia SS. crucis exposita.

I. CELEBRANS procedens ad altare , cùm ingres-
sus est presbyterium , seu capellam , in qua est
expositum SS. Sacramentum , id est , quando visu
incipit illud attingere , caput denudat , et birretum
ministro porrigit.

II. Constitutus ante infimum altaris gradum ,
flectit duobus genibus , et inclinatione profundâ
capitis (non corporis) , adorat SS. Sacramentum ,
eandem genuflexionem cum dicta capitis incli-
natione repetit , antequam missam exordiat ,
et finitâ missâ , antequam birretum à ministro
recipiat.

III. Omnes capitis inclinationes cruci debitæ ,
exposito SS. Sacramento , ad illud diriguntur.

IV. Quoties celebrans descendit ex altari , vel
se vertit ad populum , v. g. ad *Dominus vobiscum* ,
orate fratres , etc. , toties se parùm trahit è medio ,
versus cornu evangelii , ne terga vertat SS. Sacra-
mento.

V. Quotiescumque sacerdos accedit ad medium
altaris , vel de medio illius recedit , flectit uno

genu usque ad terram seu scabellum altaris (1). Notaque hic bis esse flectendum, scilicet, in accessu ad medium, et recessu ab eo, dum inter utrumque mora habetur: hinc sacerdos post confessionem accedens ad altare, flectere debet antequam incipiat *oramus te Domine*; et denuò post illam orationem, antequam è medio discedat.

VI. Celebrans dicturus *Dominus vobiscum* debet priùs (N. B.) osculari altare, et deindè genuflectere. Idem dic ad *orate fratres*.

VII. Ad lotionem manuum, descendit è gradibus altaris in planum capellæ, ubi conversus ad populum per suam sinistram, digitos more solito abluit; sed immediatè post aquæ infusionem, reascendit gradus altaris, et in cornu epistolæ, facie versâ ad altaris parietem, digitos purificatorio exsiccat.

VIII. Ad *orate fratres* non perficit circulum, sed dicto *orate fratres*, parùm extra medium altaris, per eandem viam ad altare revertitur, ac genuflexione SS. Sacramentum adorat.

IX. Dum dicitur in fine missæ *benedicamus Domino*, celebrans reversus ad altaris medium, priùs flectere debet (N. B.) quàm proferat *benedicamus Domino*.

X. Absolutâ oratione *placeat*, osculatur altare in medio; erectus, manibus junctis ante pectus, elevat oculos ad SS. Sacramentum, simul et extendit manus more solito, dicens *benedicat*, etc.,

(1) Nonnulli videntur sacerdotes adhuc vegeti, et toto ætatis robore fruentes, se eximere à debito genuflexionis, solùm genu modicè plicantes; eorum sanè praxis multiplici titulo est damnabilis, utpotè irreligiosa, scandalosa, et apertè contra rubricas.

sine tamen capitis inclinatione ad SS. Sacramentum; tum genuflectit, et stans facie versâ ad populum extra medium altaris, ei benedicit. Post benedictionem celebrans nec perficit circulum, nec redit ad medium altaris, sed se vertens per suam sinistram transit ad cornu evangelii, ubi dicto, *Dominus vobiscum*, signat cum extremitate pollicis non altare (N. B.), sed initium evangelii in missali vel tabella. Dicens *et Verbum caro factum est*, vel alia verba genuflexionem exigentia, genuflectit parùm conversus ad SS. Sacramentum sine capitis inclinatione. Casu autem, quo non esset in altari tabula, nec liber, se tantùm signaret, dicens *initium S. Evangelii*, etc.

XI. Finito evangelio, cùm pervenit ad medium altaris, genuflectit; et accepto calice, sine ulla capitis inclinatione descendit ex altari.

XII. Recedens ab altari caput non tegit birreto, nisi priùs transierit à conspectu SS. Sacramenti.

XIII. Expositâ reliquiâ SS. crucis in altari, ubi fit sacrificium, eodem modo se gerit celebrans, ac si missam legeret coram tabernaculo clauso, sed continente sacratissimum Christi corpus.

Quæ sunt agenda à celebrante sub missa pro defunctis, habes antè Part. 1. art. V.

SUMMARIUM

PRÆCIPUARUM RUBRICARUM.

Inclinatio profunda corporis.

1. ANTEQUAM ascendat ad altare, si in eo sit tantum crux aut tabernaculum vacuum.

2. Dum descendit ex altari, antequam incipiat missam.

3. Sub *confiteor*, donec minister dixerit *misereatur*, et ipse protulerit *amen*.

4. Sub *munda cor meum*, etc., et *jube Domine*, etc.

5. Sub *te igitur*, in initio canonis usque ad *petimus*.

6. Sub *supplices* post consecrationem usque ad *ut quotquot*.

Inclinatio mediocris corporis.

1. Sub *Deus tu conversus* continuatè, usque ad *oremus* inclusivè ante *aufer à nobis*.

2. Post accessum ad altare sub *oramus te*, *Domine*, etc.

3. Sub oratione *in spiritu humilitatis*, etc.

4. Sub *suscipe sancta Trinitas*, etc.

5. Sub *sanctus* usque ad *benedictus* exclusivè.

6. Sub utraque consecratione.

7. Sub tribus orationibus ante communionem.

8. Sub tribus *Domine*, *non sum dignus*, etc.
9. Infra communionem specierum panis.

Inclinatio capitis.

1. Antequam exeat è sacristia ad crucem.
2. In accessu ad medium altaris antequam extendat corporale; et post collocationem calicis supra corporale, antequam eat ad cornu epistolæ.
3. Redux ad medium altaris antequam descendat in planum capellæ missam inchoaturus: ante vel post hanc ultimam inclinationem, non est hærendum in altari ad formandam intentionem vel aliud, sed statim ad ipsum accessum caput est inclinandum, et mox descendendum.
4. Ad *gloria Patri* post psalm. *judica*, et introitum.
5. Infra hymnum angelicum, 1.^o sub *ly Deo* post *gloria in excelsis*, 2.^o sub *adoramus te*, 3.^o sub *gratias agimus tibi*, 4.^o sub *suscipe deprecationem nostram*.
6. Quotiescumque dicitur, *oremus*, ad crucem; excepto *oremus* ante orationem dominicam, sub quo inclinatur ad SS. Sacramentum.
7. Ad *Deum* post *credo in unum*, et deindè ad *adoratur*.
8. Post psalm. *lavabo*, sub *gloria Patri* versùs crucem.
9. Ad *nostro*, post *gratias agamus Domino Deo* in præfatione.
10. Ad utrumque *memento*.
11. Ad *tibi gratias agens*, ante utramque consecrationem.

12. Ad per Christum Dominum nostrum, ante nobis quoque peccatoribus.

13. Ad tres agnus Dei, etc.

14. In quadragesima sub his verbis humiliare capita vestra Deo.

15. Ad placeat tibi sancta Trinitas.

16. Post benedicat vos omnipotens Deus.

17. Ante discessum de altari priusquam accipiat calicem, et deindè extra gradus, si non sit in altari tabernaculum.

18. Quotiescumque accedit ad medium altaris vel de medio illius discedit; nisi præviè sit inclinatus, vel teneatur osculari altare, in quibus casibus omittitur inclinatio capitis, seu potius perficitur in ipsa inclinatione corporis.

19. Quotiescumque profertur venerandum nomen Jesus, ad crucem; excepto evangelio, infra quod fit ad librum, etiam exposito SS. Sacramento.

Notandum circa inclinationes, quæ fieri debent ad crucem, quòd, præsentè corpore Christi post consecrationem, fieri debeant ad illud, sicut toto tempore missæ, quando Venerabile est expositum.

20. Ad nomen B. Virginis Mariæ versùs librum.

21. Ad nomen sancti vel sanctæ, cujus missa celebratur, vel fit specialis commemoratio, quotiescumque profertur infra missam, sed semper versùs librum. Item ad nomen summi Pontificis pariter versùs librum.

Nota 1.º quòd si in medio altaris sit statua B. M. V. aut sancti, cujus missa celebratur, seu cujus fit specialis commemoratio, vel etiam eorum-

dem imago, modò in ea teneant locum principalem, inclinatio ad prolationem nominis eorum sit dirigenda versùs medium altaris.

Nota 2. quòd in missis de *requiem* non fiat inclinatio capitis in canone, vel alibi, dum exprimitur nomen sancti cuius illo die fit officium.

Pronunciatio submissa.

1. Sub *aufer à nobis quæsumus*, etc., oramus te Domine, etc.

2. Sub *munda cor meum*, etc., jube, Domine, etc., et per *evangelica dicta*, etc., post evangelium.

3. Ab oblatione panis inclusivè usque ad *per omnia* præfationis; exceptis his duobus verbis *orate fratres*.

4. Per totum canonem ab illis verbis inclusivè *te igitur*, usque ad orationem dominicam, exceptis his tribus verbis *nobis quoque peccatoribus*.

5. Ab oratione dominica exclusivè usque ad antiphonam, quæ dicitur *communio*, exceptis *per omnia*, etc. post fractionem hostiæ, *pax Domini sit*, etc., *agnus Dei*, etc. et quatuor his verbis *Domine, non sum dignus*.

6. Sub oratione *placeat tibi sancta Trinitas*.

Pronunciatio media inter altam et submissam.

1. Sub his verbis *orate fratres*.

2. Ad *sanctus* usque ad *te igitur*.

3. Sub his tribus verbis *nobis quoque peccatoribus.*

4. Sub his verbis ter repetitis *Domine, non sum dignus.*

Reliqua, quæ recitantur infra missam, proferri debent altâ et gravi voce.

Elevatio oculorum ad crucem.

1. Antequam celebrans incipiat *munda cor meum.*

2. Sub his verbis *suscipe, sancte Pater, omnipotens æternæ Deus, et non ultra.*

3. Toto tempore oblationis calicis.

4. Sub his verbis *veni, Sanctificator.*

5. Antequam incipiat *suscipe, sancta Trinitas.*

6. Sub voce *Deo* post *gratias agamus Domino* in præfatione.

7. Antequam incipiat *te igitur* in initio canonis.

8. Sub his verbis *et elevatis oculis* ante consecrationem panis.

9. Dum species panis et vini elevantur post consecrationem, sed hic visus ferri non debet ad crucem, verum ad hostiam et cuppam calicis.

10. Ad *benedicat vos* ante benedictionem in fine missæ.

Nota hic 1.º quòd, exposito venerabili Sacramento, elevatio oculorum fieri debeat non ad crucem, sed ad sanctissimum Sacramentum.

Nota 2.º quòd extra casus suprâ enumeratos elevare oculos ad crucem intrâ missam, sit contra rubricas.

Manus junctæ ponuntur supra altare.

1. Sub *oramus te, Domine*, etc., post accessum ad altare.
2. Sub oratione *in spiritu humilitatis*.
3. Sub hac alia *suscipe, sancta Trinitas*.
4. In initio canonis sub his verbis *te igitur, clementissime Pater*, etc.
5. Sub genuflexione, quæ fit immediatè post consecrationem hostiæ.
6. Post consecrationem sub his verbis, *te supplices*, etc.
7. Sub tribus orationibus ante communionem.
8. Sub oratione *placeat*, ante benedictionem in fine missæ.

Manus sunt junctæ ante pectus extra altare.

1. Ad *munda cor meum*, etc. *jube, Domine*, etc.
2. Sub *sanctus*, usque ad *benedictus* exclusivè.
3. Sub initio tantùm primi *agnus Dei*, exceptis missis de *requiem*, in quibus manus junctæ tenentur ante pectus extra altare toto tempore *trium agnus Dei*.

Manus sunt extensæ ante pectus.

1. Infra orationes ante epistolam, secretas, et postcommuniones.
2. Infra præfationem.
3. Infra canonem ferè integrum.
4. Infra orationem dominicam.

Nota quòd celebrans utens manu, v. g. ad vendenda folia, aliam statim teneatur deponere supra altare, vel missale.

ALLOCUTIO

AD SACERDOTES.

Attende tibi, et vide cujus ministerium tibi traditum est... Ecce sacerdos factus es, et ad celebrandum consecratus, vide nunc ut fideliter et devotè in suo tempore sacrificium Deo offeras et teipsum irreprehensibilem reddas. Auctor de Imit. 4. cap. 5. n. 2.

Quòd si, inquit Conc. Trid. Sess. 22. necessariò fatemur nullum aliud opus adeò sanctum ac divinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum mysterium... satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quantà maximà fieri potest interiori cordis munditià et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.

Quantùm ad modum celebrandi exteriorem, hodiè plures videre est errores et defectus (quod sanguineis lacrymis deplorandum est) contra rubricas missalis; ad quarum tamen scientiam episcopus in ordinatione presbyterorum eos exhortatur his verbis: Quia res quam tractaturi estis, satis periculosa est, filii dilectissimi, moneo vos ut diligenter totius missæ ordinem, atque hostiæ consecrationem ac fractionem et communionem ab

aliis jam doctis sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandum accedatis: et quas non observare non parvi momenti est.

Hinc defectus magis communes in celebratione referuntur.

1. Qui levi ex causa missam prætermittunt, aut qui rarò per annum celebrant. Hic neglectus multiplici bono obest; nam ut ait auctor imit. Christi, lib. 4. cap. 2. *Quando sacerdos devotè celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, et sese omnium bonorum participem efficit.*

2. Qui cum nocturnis et tritis vestibus, vel coloris non nigri, sine veste talari, collari ecclesiastico, aut tonsura se ad celebrandum præsentant.

3. Qui absque debitis et piis præparationibus, licèt ex præviis occupationibus pleni forsan dissipatione, ad aram accedere non dubitant. Ad hos sapiens: *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Eccl. 18. v. 23.

4. Qui paramentis laceris, et linteis sordidis ad missam utuntur, qui iisdem paramentis indecenter et incompositè se accingunt, qui eadem induentes, vel iis induti, vanis et inutilibus colloquiis se occupant, qui preces, dum induuntur, præscriptas negligunt, vel absque attentione recitant.

5. Qui absque birreto eunt ad altare.

6. Qui unâ tantùm manu calicem portant , ei non impositâ dexterâ , et qui sub missa pallam è calice projiciunt in altare.

7. Qui alternatim cum ministro recitantes , præ nimia festinatione finem responsi non expectant.

8. Qui dicturi *oremus* ante collectas , præviè manus non jungunt , vel qui post earum extensionem illas denuò non conjungunt , antequam incipiant orationem. Item ii qui sub conclusione collectarum accelerationis causâ vertunt folia missalis , ante responsum *amen* à ministro.

9. Qui conversi infra missam ad populum à tergo altari innituntur , vel qui adstantes oculis attingunt. Hæc libertas est admodùm scandalosa , et magnæ dissipationis argumentum.

10. Qui inclinati vel altare osculantes antequam flectant , vel se ad populum convertant , priùs non se corpore et capite erigunt , quàm incipiant flectere , vel ad populum se convertere.

11. Qui flectentes sub *et homo factus est* , vel ante et post elevationem specierum , caput inclinant infra genuflexionem. Idem dic de iis , qui ante initium missæ , et post illius finem , factâ ad gradus altaris genuflexione , seu profundâ corporis inclinatione , erecti , capitis inflexione crucem denuò salutant.

12. Qui se signantes non apponunt manum sinistram ad corpus , et extremitate dexteræ frontem , pectus , et utrumque humerum physicè non tangunt. Errant quoque qui , dum signant oblata , nullam crucem delineant , sed insulsâ et ridiculâ

manûs varicatione signum cujusdam rotæ exhibent, quam *S. Vincentius Ferrerius* circulum diaboli appellat.

13. Qui non servant tempus et locum ad legendum, vel ad ritus exercendos, v. g. qui dicunt *kyrie eleison* in itinere, et antequàm ad medium altaris pervenerint, qui cruces formant non præcisè sub verbis iis respondentibus. Qui dicunt *undè et memores*, antequam ab ultima adoratione calicis se erexerint. Qui recitant communionem de Beata, de *requiem*, aut alias in medio altaris, etc.

14. Qui absque ullo religionis apparatu, imò et cum gravi fidelium offensione, ita præcipitanter incedunt, et infra altare se movent, ut malo spiritu agitare videantur. Qui ita festinanter genuflectunt, ut actum derisionis exercere potiùs quàm adorationis videantur. Et qui ita velociter signant oblata, ut credantur muscas à speciebus abigere, et non ritum sacrum agere.

15. Qui stantes in altari vel incedentes, aut genuflectentes, corpus et caput continuò et indecenter librant seu contorquent. Qui extra casum gravis incommodi seu impossibilitatis moralis, ad formandas genuflexiones genu ad terram usque non deprimunt. Et qui incedentes intrà altare latus totaliter ad illud non vertunt se quasi moventes cancerorum more.

16. Qui altare non osculantur in medio, sed ad latus hostiæ.

17. Qui altâ voce proferunt utrumque *memento*, et verba consecrationis tali ut audiantur à circumstantibus.

18. Qui totum sacrificii cursum voce altâ legunt, aut tam submissâ, ut ea, quæ altâ voce proferri debent, non audiantur à proximè circumstantibus.

19. Qui verba consecrationis pronuntiant magno nisu, aspiratione grandi, et moram inter illa ponendo.

20. Qui sub utraque consecratione et *Domine, non sum dignus*, pedem dextrum extendunt ultra sinistrum.

21. Qui sacras species non elevant ultra caput. Qui in illas, dum elevantur et deponuntur, oculos non intendunt continuò. Qui elevantes hostiam manus disjungunt, et qui hostiam atque calicem non elevant lineâ rectâ intrâ corporale, sed ad verticem capitis illa declinant.

22. Qui sic continuatè ter dicunt *Domine, non sum dignus*, ut necessariò omittant verba sequentia *ut intres*, etc., vel qui sub hac oratione brachio indecenter altari innixi, corpus contorquent versus cornu epistolæ.

23. Qui cæremonias fingunt; ex. gr. qui immediatè antequam se signent, missam incepturi, casulam deosculantur.

24. Qui ab altari recedentes devotè non recitant canticum *benedicite omnia opera*, et alias preces illi substituunt apertè contra rubricam.

25. Qui festinanter et incompositè deponunt sacras vestes, quique statim, et absque recollectione per medium ad minùs quadrantis, ad fabulas, risus vel negotia mundana se convertunt.

26. Qui ultra medietatem unius horæ missam communem protrahunt, non sine fastidio populi

adstantis, vel (et hi longè turpiùs peccant) qui non insumunt medietatem circiter unius horæ ad celebrandam missam licèt brevissimam.

27. Celebrans, seu ministri, qui infra missam solemnem sedentes, crura complicant, seu qui non tenent pedes decentes juxta se invicem positos.

28. Qui in missa cantata hymnum angelicum et symbolum ei debita non cantant à principio in finem, vel qui sub eorum cantu missam prosequuntur. Nota tamen hymnum angelicum cantari posse alternatim cum organo, non tamen symbolum. Cærem. episc. libr. 1. cap. XXVIII. n. 9. et 10. Errant quoque turpiter qui præfationis et orationis dominicæ cantum usque in finem earum non deducunt.

29. Tandem errant, qui ad altare se convertunt dicturi *placeat* antequam diaconus totaliter absolverit *ite missa est*.

Cùm præcipitatio in missarum celebratione sit admodùm, proh dolor! frequens et ordinaria, hujus mali sub sole pessimi, causæ et remedia breviter hic requiruntur.

Prima causa est ignorantia crassa et damnable sacrorum Rituum et significationis eorum, in qua multi vivunt, et usque in finem insordescunt: undè fit ut viles habeant cæremônias Ecclesiæ, ipsumque altaris mysterium indignè pertractent.

Secunda est vita mundana plurimorum, quæ terræ agglutinati, negotiis sæcularibus distracti, et pleni creaturis, à rerum coelestium sapore

impediuntur; *animalis* quippe *homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.*

Tertia est defectus veræ et vivæ fidei circa Sacramentum corporis et sanguinis Christi; si enim lumine fidei sacerdotes in manibus suis viderent supremam Dei majestatem, profectò timore concussi ab omni festinatione et neglectu efficaciter retraherentur.

Quarta est inconsideratio et profunda oblivio maledictionum horrendarum, quas Deus irreligiosis et impiis continuò intentat: *Filii Heli*, inquit 1. Reg. cap. 2, *filii Belial nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum.* Et Jerem. 48. *Maledictus dicitur omnis, qui facit opus Dei fraudulenter (negligenter).* Utque in vanum loqui non videatur, Deut. 28. legitur: *Quòd si audire nolueris vocem Domine Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ et apprehendent te.*

In remedium hujus mali exitiosi et scandalosi nimis veniunt sequentia:

1.º Fervens et constans applicatio; tum ut sacrarum cæremoniarum scientia acquiratur, tum ut earundem sensus et rationes capiantur.

2.º Perfecta cordis ab affectibus humanis purgatio: nam qui de mundo est, necessariò cogitat quæ sunt mundi, et qui de Deo est quæ sunt Dei.

3.º Ante missam seria meditatio præsentis realis Christi Domini in eucharistia et professio explicita illius veritatis, quæ sub ipsa sacrificii actione menti impressa maneat.

4. Tandem frequens apprehensio maledictionum divinarum, de quibus suprà, et pœnarum quibus Deus sub veteri testamento de minimis contra religionem peccatis vindictam quæsivit. *Oza* quippè ob irreverentiam quandam erga arcam fœderis, morte à Deo percussus est; *Nadab* et *Abiu*, filii *Aaron*, ob adhibitum in thuribulis ignem profanum, igne consumuntur, et Deus lib. 1. Reg. cap. 6. *percussit de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent (curiosè) arcam Domini, et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis*: quàm igitur horrendum est sacerdotes irreligiosos incidere in manus Dei viventis!

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX

ARTICULORUM

QUI IN HOC TOMO CONTINENTUR.

PARS PRIMA.

	Pag.
VITA AUCTORIS.	5
PRÆFATIO <i>ad lectorem.</i>	9
ARTICULUS I. <i>De psalmo judica, introitu, hymno angelico et orationibus.</i>	13
ART. II. <i>De graduali, tractu, symbolo, præfatione, etc.</i>	21
ART. III. <i>De missis votivis.</i>	28
ART. IV. <i>De ordinatione missæ votivæ.</i>	34
ART. V. <i>De missis defunctorum.</i>	42
ART. VI. <i>De rubricis quibusdam generalibus, de inclinationibus et genuflexionibus.</i>	53
ART. VII. <i>De coloribus vestium sacerdotalium.</i>	62
ART. VIII. <i>De tempore impendendo in celebratione sacrosancti missæ sacrificii.</i>	69

PARS SECUNDA.

ARTICULUS. I. <i>De agendis à sacerdote in sacristia usque ad ingressum ad altare.</i>	75
ART. II. <i>De ingressu sacerdotis ad altare usque ad initium missæ.</i>	79

ART. III. <i>Ab initio missæ usque ad introitum.</i>	84
ART. IV. <i>De introitu usque ad orationes.</i>	88
ART. V. <i>De oratione usque ad offertorium.</i>	91
ART. VI. <i>De offertorio usque ad lotionem manuum.</i>	96
ART. VII. <i>De lotionem manuum usque ad canonem.</i>	102
ART. VIII. <i>De canone usque ad consecrationem.</i>	105
ART. IX. <i>De consecratione.</i>	109
ART. X. <i>A consecratione usque ad orationem dominicam.</i>	115
ART. XI. <i>Ab oratione dominica usque ad communionem.</i>	119
ART. XII. <i>De communione sacerdotis.</i>	124
ART. XIII. <i>De communione fidelium.</i>	130
ART. XIV. <i>De purificatione calicis usque ad finem.</i>	139
ART. XV. <i>De servandis coram Venerabili exposito in remonstrantia vel pyxide.</i>	148
<i>Summarium præcipuarum rubricarum.</i>	151
<i>Allocutio ad sacerdotes.</i>	157

FINIS INDICIS TOMI PRIMI.

PRAXIS
CELEBRANDI MISSAE
RITUS ROMANUS
OPERA
LITURGICA.

PRAXIS
CELEBRANDI MISSAM

SOLEMNEM,

JUXTA

RITUM ROMANUM,

AD MENTEM RUBRICARUM MISSALIS ROMANI ET DECRETORUM S. R. C.
STUDIO ET OPERE

R. D. TOSSANI-JOSEPHI ROMSÉE,

PRESBYTERI, ET QUONDAM SACRORUM RITUM IN SEMINARIO LEODIENSI
PROFESSORIS.

EDITIO NOVA

A Sacrae Theologiae Professore accuratè revisa, nec non vitâ Auctoris
variisque notis illustrata.

Tomus Secundus.



MECHLINÆ.

P. J. HANICQ, TYPOGR. ARCHIEP. MECHL.

CUM APPROBATIONE. — 1838.

PARIS

CELEBRANDI MISSAM

COLLEGIUM

1854

RITUM ROMANUM

IN HOC LIBRO CONTINENTUR MISSAE ET CANONES ROMANI

SECUNDUM RITUM ROMANUM

H. D. TOSSA-JOSEPHI ROMANI

PROPRIÉTÉ DE L'ÉDITEUR.

PARIS, CHEZ M. L'ÉDITEUR, RUE DE LA HARPE, N. 105.

1854

EDITION

Paris, chez M. l'Éditeur, rue de la Harpe, n. 105.

Paris, chez M. l'Éditeur, rue de la Harpe, n. 105.



RECHERCHES

PAR M. A. HANCO, AVOCAT, RUE DE LA HARPE, N. 105.

PARIS, CHEZ M. L'ÉDITEUR, RUE DE LA HARPE, N. 105.

PRAXIS

CELEBRANDI MISSAM

SOLEMNEM.

Observatio generalis in actiones celebrantis et ministrorum infra missam solemnem.

CIRCA actiones communes, seu quæ simul exercentur à celebrante et ministris, hæc regula (cujus stricta observatio maximè conducit ad debitam rubricarum perfectionem) statui debet. *Quando celebrans et ministri eandem simul faciunt actionem, motus omnium debet esse uniformis et simultaneus.*
Hinc

1.º Dum celebrans et ministri infra missam simul se signant, debent omnes simul tangere frontem, simul pectus, simul humerum sinistrum; simul tandem humerum dextrum.

2.º Dum simul genuflectunt, eodem tempore corpus omnium debet demitti, eodem tempore genu tangere terram, et eodem tempore corpus erigi.

3.^o Dum simul faciunt inclinationem, sivè corporis profundam, sivè mediocrem, sivè inclinationem capitis, debent omnes simul demittere et erigere corpus et caput.

Hic notandum quòd, si celebrans non sit omninò exactus in formandis suis inclinationibus, v. g. si eas faciat debito majores, vel minores, ministri debeant se conformare celebranti non magis vel minùs incurvando corpus vel caput, quàm ipse celebrans: quia videtur meliùs, si ministri errent cum celebrante ad servandam uniformitatem, quàm si observent inclinationes, juxta rubricas, sed cum difformitate respectu principalis, seu celebrantis.

4.^o Dum simul incedunt infra missam, v. g. à medio altaris ad cornu epistolæ, uniformi motu debent ministri cum celebrante vertere latus sinistrum totaliter ad altare, eodem passu incedere, et tandem simul convertere faciem ad altare. Idem quoque servandum, dum redeunt à cornu epistolæ ad medium altaris, vel quando transeunt à medio altaris ad cornu evangelii, hoc excepto quòd tunc vertendum sit totaliter latus dextrum ad altare, et in eodem situ incedendum.

5.^o Dum simul percutiunt pectus, pariter eodem tempore pectus est tangendum ab omnibus, et ministri non debent duriùs pectus tundere quàm celebrans, motusque trium manuum debet esse uniformis quoad distantiam à pectore. Ab his exemplis facilè deduci potest, quomodò se gerere debeant ministri dum faciunt aliquid commune inter se.

Ut autem præfata debite observentur, inferior debet sequi motum superioris, v. g. si simul flectant celebrans et ministri, motus corporis celebrantis debet esse regula motus corporis ministrorum, et sic de aliis actionibus: dum verò duo ministri tantum simul agunt, v. g. flectunt, motus corporis diaconi erit regula motus corporis subdiaconi; sed hinc diligenter notandum, quòd superior, qui est regula ab inferiore vel inferioribus sequenda, debeat actiones sibi et aliis communes modestè et graviter perficere; aliàs impossibile foret prædicta principia ad praxim reducere.

Circa inclinationes capitis, quas ministri infra missam solemnem tenentur exhibere, hæc regula etiam ponitur: quando celebrans submissâ voce profert aliquid exigens inclinationem, ad eam non tenentur ministri; sed quotiescumque celebrans, in iis quæ leguntur altâ voce in missa privata, profert sive simplici recitatione, sive cantu aliquid, cui debetur inclinatio capitis ab ipso celebrante, toties ministri debent inclinare caput versùs idem objectum, ad quod dirigitur inclinatio celebrantis, id est, si celebrans inclinet caput versùs crucem, et ipsi versùs crucem; si versùs librum, et ipsi versùs librum caput inclinare debent (1): hinc excipe, nisi ministri sint aliundè occupati; tunc enim non tenentur ad dictas capitis inclinationes; et sic v. g. subdiaconus, tempore quo cantat epistolam, non inclinat caput cum celebrante. Vide quæ diximus

(1) *Gavantus, Merati et rubricistæ passim omnes.*

de inclinationibus , tomo præcedenti , parte 1.
art. VI.

Tandem sciri debet ministros , infra missam
solemnem cui inserviunt , non posse legere bre-
viarium , rosarium , etc., eorum quippè ministe-
rium totam exigit mentis occupationem.

PARS PRIMA.

DE OFFICIO SUBDIACONI (1).

ARTICULUS PRIMUS.

De vestitu usque ad egressum è sacristia.

I. SUBDIACONUS, existens in statu gratiæ, indutus veste talari (2), et aliquantulâ præparatus

(1) Subdiaconatus est ferè coævus ordini diaconatûs; de eo quippè mentionem faciunt canon vulgò apostolorum 43., constitutiones apostolicæ lib. 8. et inter alios *S. Ignatius*, in epistola ad Antiochenos. Verùm per multa sæcula inter minores ordines fuit connumeratus, nec vinculum castitatis perpetuæ præ se ferebat; solùmque inter majores ordines fuit relatus à tempore Innocentii III. qui obiit an. 1216., aut ad summùm à tempore Urbani II. qui obiit an. 1099. Sed quomodò Pontifex novum potuit creare sacramentum? Imprimis non constat subdiaconatum esse Sacramentum: undè hujus rationem ex tarda illius institutione plures illi denegant. Qui verò inter Sacramenta illum numerant, tenentur dicere eductum fuisse è diaconatu qui divisim tantùm subdiacono confertur.

(2) Nigri coloris, nisi ex indulto vel consuetudine vestes alterius coloris, v. g. rubri vel violacci vigeant; prout videtur in nonnullis capitulis maximè cathèdralibus. Errat auctor sæculorum christianorum tradens, tom. 5. art. 9. vestes clericorum albas fuisse, usque ad medium sæculi XVI. Hujus coloris vestes soli clerici regulares deferebant, prout innuitur in constitutionibus Præmonstratensium qui et tales retinuerunt.

oratione ingreditur, instante sacrificii tempore, sacristiam, ubi primò manus lavat, dicens (1): *Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.* Deindè parat calicem ordine sequenti: 1.º apponit purificatorium mundum, et super illud cochlear parvum, ubi est in usu; deindè patenam, super quam deponit panem, præviè pollicibus et indicibus à fragmentis abstersum; tandem pallam, velum et bursam, in qua sit corporale nitidum. Calicem autem sic paratum defert ad credentiam, vel alium locum juxta morem ecclesiæ.

Nota hìc bursam esse ita locandam super calicem, ut ipsius apertura respiciat subdiaconum, dum defert calicem: porrò deferens calicem, superimposità bursæ dexterâ, tenet eum sinistrâ per nodum infra cuppam, sicque, ut crux veli directè aliis exhibeatur.

Si alter calicem præparaverit, immediatè post lotionem manuum accipit missale, illud aperit, quærit missam convenientem, illius perlegit epistolam, signaculum illi adaptat, et clausum tradit acolytho vel sacristæ ad credentiam, vel alium locum opportunum deportandum.

II. His peractis, accedit ad paramenta, et priùs quàm celebrans se induat, ipse se propriis induit vestibus; 1.º scilicet amictu (2), quem tenens ambabus manibus juxta extremitates, ubi

(1) Hæc oratio, et aliæ respondentis inductioni vestium sacrarum, non debent dici à ministris de præcepto, sed tantùm de consilio et convenientia.

(2) De paramentis sacerdotum et ministrorum, dicitur in appendice ad hunc tomum.

sunt chordulæ, osculatur in medio supra crucem, tum ponit supra caput, moxque declinat ad collum; eo tegens collare, ita ut nullatenus appareat. Deindè ducit chordulas ante pectus per modum crucis, et circumducens eas per dorsum, reducit ante pectus, ubi ligat extremitates; interea autem dicit orationem: *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.* 2.º Albam induit, primò immittens brachium dextrum in manicam dextram, et deindè sinistrum in aliam, clauditque albam circa collum, si sit ibi aperta. Sub indutione hujus vestis dicit: *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine agni dealbatus, gaudiis persfruar sempiternis.* 3.º A tergo recipit ab acolytho vel alio cingulum, quo renes suos cingit, non partem superiorem pectoris, dicens: *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.* Acolythus autem supra cingulum ita elevat albam, ut circumcercà à terra extremitas illius elevetur latitudine unius digiti circiter. Hic subdiaconus desistit, et aliis non se induit vestibus, sed antè adjuvat unà cum diacono celebrantem se induentem: undè 1.º tegit collare ipsius amictu, ita ut collare nullatenus videatur. 2.º Immittit albam supra corpus celebrantis, juvatque ut brachium sinistrum introducat in manicam sinistram, post quod claudit albam circa collum. 3.º A tergo offert ei cingulum, albamque elevat supra cingulum, ut sibi præstitum est. 4.º Manipulum, si opus sit, figit aciculâ vel chordulis brachio celebrantis. 5.º Accipit partem stolæ respondentem lateri dex-

tro, et adducit supra aliam partem ad latus sinistrum, ubi cum extremitate cinguli alligat ita firmiter, ut maneat in modum crucis infra missam. 6.º Tandem subdiaconus et diaconus accipiunt casulam, et eâ induunt celebrantem.

Induto celebrante, accipit subdiaconus manipulum (1), eum osculatur supra crucem, et deinde imponit brachio sinistro, sic ut hæreat inter manum et cubitum; interea autem dicit: *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.* Si manipulus non habeat chordulas, potest eum figere aciculâ, ne decidat infra missam. Tandem se induit tunicâ, absque illius osculo sub his verbis: *Tunicâ jucunditatis, et indumento lætitiæ induat me Dominus* (2). Maximè convenit ut ministri infra dalmaticam cingulo adstringant sudarium album pro sudoribus et emunctionibus.

ARTICULUS II.

De egressu è sacristiâ usque ad ascensum ad altare.

I. SUBDIACONUS indutus accipit birretum, quod tenens per partem inferiorem inter pollices in modum crucis positos, et alios digitos infra extensos et junctos, salutatur crucem vel imaginem

(1) Hæc vestis est ita propria subdiacono, ut sine illa non faciat actum sui ordinis: hinc sine illa in malo statu ministrans non peccat mortaliter, et suspensus non incurrit irregularitatem.

(2) Dicens si velit, quod tamen non est necesse, orationes ad singula paramenta, et ad tunicellam eam orationem, quam dicit episcopus. Bauldry de subdiac. art. 1. num. 5

inclinacione capitis cum celebrante; moxque tegit caput, et manibus junctis, tecto capite, conversus ad celebrantem, illum etiam salutat capitis inclinacione.

In junctiōne manuum hæc regula constanter servanda est: oportet ut digiti unius manūs respondeant digitis alterius; exceptis pollicibus qui ponuntur in modum crucis, sic ut dexter sit supra sinistrum: debetque fieri junctio physica manuum ab extremitate digitorum usque ad pulsum; necnon debent manus junctæ sic susineri ante pectus, ut non tangant dalmaticam, et digitorum extremitates cœlum respiciant.

II. Salutato celebrante, primus discedit subdiaconus per suam dexteram, et incedens ante diaconum passu gravi, corpore recto, manibus junctis, oculis ad terram demissis, recto tramite se sistit in cornu evangelii, sed si sacristia sit versùs cornu evangelii, cùm ad illud pervenit subdiaconus, paululùm recedens ab altari sinit coram se transire diaconum et celebrantem. Tribus constitutis ante infimum gradum altaris, subdiacono à sinistris celebrantis, diacono à dextris, deponit birretum subdiaconus cum aliis, et tradit acolytho, ac junctis manibus, si sit tabernaculum clausum continens actualiter corpus Christi, uno genu flectit cum aliis; si verò tantùm sit crux in altari, non flectit celebrans; verùm nihilominùs uno genu flectere debent ministri; ita ut toto tempore missæ idem omninò sit pro ministris, sivè sit tantùm crux, sivè tabernaculum clausum. Quid agendum coram Venerabili patenter exposito, postea dicetur.

Si transeundum foret ante altaria, antequam perveniatur ad altare in quo est celebrandum: 1.º si fiat transitus coram summo altari, ubi sit solum crux, ministri à dextris et à sinistris sacerdotis respectivè constituti, deposito birreto, flectunt uno genu; celebrans verò medius solum præstat cruce inclinationem capitis præviè detecti. Si autem sit tabernaculum clausum cum corpore Christi, sacerdos flectit cum duobus ministris: 2.º si Venerabile sit expositum in altari, celebrans et ministri, depositis birretis paulò antequam accedant ad medium altaris, flectunt simul duobus genibus, et caput profundè inclinant; erecti et in eadem linea constituti ac in egressu è sacristia, procedunt, se tegentes, cum aliquantulum fuerint progressi è conspectu SS. Sacramenti. Idem servandum, si transeant ante mensam, ubi distribuitur eucharistia. Idem quoque servandum, si transeant ante altare infra consecrationem: hoc addito, quòd genuflexi manere debeant, donec totaliter sit peracta consecratio. 3.º Transeuntes ante minora altaria, ubi simplex crux habetur, sine ulla cæremonia ultrà progrediuntur (1), nisi actualiter celebretur, et missa sit inter consecrationem et communionem; tunc enim flectunt omnes uno genu, ut si adesset tabernaculum continens corpus Christi. Tandem si transeant ante chorum (ubi est mos), celebrans et ministri ad chorum conversi, capite detecto, chorum salutant inclinatione capitis.

Hic notandum, 1.º quòd, si sacristia sit retro post altare, accedendum sit ad illud per cornu

(1) *Merati*, ex *Bisso* et aliis, p. 2. tit. 2. num. 21.

evangelii , et ab illo recedendum post missam per cornu epistolæ (1). 2.º Quòd , si celebrans accedat ad altare cum pluviali , ut contingit , quando facienda est aliqua benedictio , tunc incedat post egressum è sacristia medius inter diaconum et subdiaconum usque ad altare , ita ut hic sit à sinistris , alter à dextris celebrantis.

III. Subdiaconus post genuflexionem erectus , cum celebrante signat se signo crucis , sub his verbis à solo celebrante prolatis : *In nomine Patris* , etc. Sic autem crux est formanda : apponenda est manus sinistra , cujus digiti sint extensi et sibi mutuò omnes adhærentes , infra pectus , ita ut palma manûs sit contra ipsum corpus ; deindè extremitate trium majorum digitorum manûs dextræ pariter extensæ cum unione quinque digitorum , 1.º tangendus est physicè frons , 2.º pectus supra manum sinistram , seu sic ut sinistra sit extra primam crucis lineam , 3.º humerus sinister , et 4.º dexter : post tactum autem humeri dextri , immediatè sunt manus jungendæ : hic modus constanter est retinendus à ministris infra missam in sui signatione.

IV. Post signum crucis , incipit celebrans psalmum *Judica me Deus* , qui integer recitatur per versiculos alternatim.

Hic adverte 1.º quòd ministri non debeant assumere versiculum , nisi absolutè suum absolverit celebrans ; 2.º quòd partem suam recitare teneantur absque ulla præcipatione vel verborum elisione.

(1) *Merati* , p. 2. tit 2. num. 22. *Bissus* , t. 1. lit. c. n. 197.

Sub versiculo *Gloria Patri*, usque ad *et Spiritui Sancto* inclusivè, ministri caput inclinant cum celebrante. Sub his verbis à celebrante prolatis *Adjutorium nostrum*, etc., se signant ut mox dictum est.

V. Infra confessionem celebrantis stant ministri manibus junctis et oculis ad terram demissis: finitâ autem confessione celebrantis, se paululùm convertunt ad sacerdotem, et parùm inclinati versùs ipsum (1), dicunt *Misereatur tui*, etc.; dicto autem *amen* à celebrante, se convertunt directè ad altare, ac profundè corpore inclinati recitant confessionem (censetur autem profunda corporis inclinatio, dum quis, brachiis complicatis in formam crucis, cum extremitate utriusque manùs potest tangere utrumque genu). Dicentes *et tibi pater*, se paululùm convertunt ad celebrantem absque motu in pedibus: facie autem reversâ ad altare, et manu sinistrâ corpori admotâ, uti sub signo crucis, ter cum compunctione, modestè, et absque strepitu percutiunt pectus sub his verbis, *meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ*; manus dextra percutiens hic et postea debet sic componi: omnes digiti, non excepto pollice, sibi invicem adhæreant; dein manus paululùm incurvetur, et tunsio pectoris fiat cum extremitate digitorum. In fine confessionis iterùm sub his verbis, *et te pater*, se con-

(1) In cærem. episc. l. 2. c. 8. §. 81. id autem præscribitur ex decentia, quæ exigit ut alloquentes personam venerabilem vertamus nos ad illam, et quidem quadam cum humiliatione, quando illius fit mentio in sermone. Hâc ratione ministri se vertunt ad celebrantem sub confessione ad *ibi pater* et *te pater*, et se parùm inclinant ad illum.

vertunt ad celebrantem et sine mora revertunt faciem ad altare, manentes profundè inclinati, donec responderint *amen* post dictum *Misereatur* à celebrante.

VI. Dicto *amen*, se erigunt, et sub his verbis *Indulgentiam, absolutionem*, etc., se signant cum celebrante; tum manibus junctis ante pectus, mediocriter cum celebrante se corpore inclinant à versu *Deus, tu conversus vivificabis nos*, usque ad vocem *oremus* inclusivè, sub qua manus non extendunt.

ARTICULUS III.

De ascensu ad altare usque ad orationes.

I. Dicto *oremus*, ministri erecti, pari passu cum celebrante, ascendunt ad altare; si opus sit, elevantes illius albam, diaconus manu sinistrâ inversâ, dextrâ corpori admotâ, et subdiaconus dextrâ, sinistrâ pariter corpori admotâ. Cùm perveniunt ad altare, uno genu flectunt ministri tempore quo celebrans dicit *oramus te*, etc., et si non fiat incensatio altaris flectunt ita protrahendo genuflexionem, ut erecti tantùm sint ad discessum celebrantis ab altari, aliàs bis flectere tenerentur. Erectus igitur subdiaconus discedit ex altari per suam dextram, et si in altari sint plures gradus, transversim procedit per secundum aut tertium à scabello altaris absque genuflexione in medio, seque sistit in cornu epistolæ, ut modò dicetur.

Hic semel pro semper notandum, quòd ministri in altari flectentes non debeant manus ponere

super altare, sed eas habere junctas ante pectus; flectere autem debent, quotiescumque accedunt ad altare, vel discedunt de altari, aut pertranseunt ante crucem, prout suis locis expressiùs exponetur. De agendis sub incensatione, dicetur postea de officio celebrantis.

II. Subdiaconus in cornu epistolæ constitutus, ut hic suprà dictum est, sistit se ad latuș dextrum diaconi; ita ut, si sint plures gradus in altari, diaconus sit in secundo à dextris celebrantis, et subdiaconus in tertio, vel in plano capellæ, si non sit tertius gradus, ad dexteram diaconi. Dum se signat celebrans sub initio introitus, pariter se signant ministri; et dum caput inclinatur ad crucem sub versu *Gloria Patri*, usque ad *Spiritus Sancto* inclusivè, pariter caput eidem cruci diaconus et subdiaconus inclinant: si nomen *Jesu*, vel *Mariæ*, vel sancti, cujus missa celebratur, infra introitum exprimat, debent similiter caput inclinare cum sacerdote ad crucem pro nomine *Jesu*, et ad librum pro nomine *Mariæ*, vel sancti cujus missa legitur.

III. Lecto introitu, dicit celebrans in eodem cornu epistolæ *kyrie*, cui alternatim ministri respondent semel *kyrie*, bis *Christe*, et iterum semel *kyrie*: post quod hærent in eodem loco, donec chorus incipiat ultimum *kyrie*, sub quo discedunt, seque locant unus post alterum in linea recta retrò post celebrantem, diaconus in secundo gradu altaris à scabello, si sint in altari plures, et subdiaconus in plano capellæ. Hic modus servatur toto tempore missæ, dum ministri stant post tergum celebrantis.

Si legendæ sint prophetiæ, dum celebrans dicit *oremus*, caput cruci inclinans : si dicendum sit *flectamus genua*, illud protractè cantat diaconus flectens prior duobus genibus. Deindè flectit subdiaconus pariter duobus genibus (1), et postquàm hic cantavit *levate*, prior surgit, et deindè diaconus. Ad lectionem prophetiarum accedunt ministri ad cornu epistolæ; ibique stant uti ad epistolam. In fine cujuslibet prophetiæ absque *Deo gratias* redeunt ad sua respectivè loca retrò post celebrantem. Finitis omnibus prophetiis, sacerdos et ministri redeunt ad medium altaris, et ibi dicitur à celebrante, *Gloria in excelsis*, vel *Domine vobiscum*, prout sequitur.

IV. Dum discedit celebrans, simul discedunt ministri, et incedentes totaliter vertunt latus dextrum ad altare, parique passu progrediuntur cum celebrante; cùm perveniunt ad medium altaris absque genuflexione vertunt faciem ad illud. Dum autem celebrans cantat *Gloria in excelsis Deo*, adhuc stantes retrò post celebrantem inclinans caput cruci cum celebrante ad verbum *Deo*, post quod, et non priùs, simul flectunt, erectique simul ascendunt ad latera celebrantis, quod ut debitè fiat, debet diaconus tardo passu ascendere, ne accedat ad altare ante subdiaconum. Constituti diaconus à dextris et subdiaconus à sinistris, manibus junctis, voce submissâ legunt cum celebrante hymnum angelicum usque in finem, non præveniendo, nec verba protrahendo, sed celebrantem concomitando, et inclinationes capitis faciendo cum ipso ad *adoramus te—gratias*

(1) Merati et Janssens.

agimus tibi—Jesu Christe—suscipe deprecationem nostram, et iterum ad *Jesu Christe*. In fine sub his verbis *cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris*, *amen*, se signant et postea manus jungunt.

Si sit sedendum, recitato hymno, flectunt ministri, quamvis non flectat celebrans; erecti tendunt per viam breviorē, id est, per gradus laterales epistolæ ad sedes vel scamnum præparatum in cornu epistolæ: primus incedit subdiaconus, deindè diaconus, et tertio celebrans. Cùm ad sedilia pervenerint, sedet in medio celebrans, et à lateribus ejus ministri, diaconus à dextris et subdiaconus à sinistris; sed cavendum ne terga vertant altari; quare omnes per suam sinistram se vertunt antequam sedeant. Dum sedet celebrans ministri elevant posteriorem partem casulæ, ne supra eam sedeat; posterior autem pars dalmaticæ similiter elevatur, vel ab acolythis, vel ab ipsis ministris: deindè accipit celebrans birretum à diacono (qui illud quasi osculatur) tegitque caput suum; tum istud accipiunt et ministri, qui antequam se coöperiant, inclinationem capitis exhibent celebranti, et postea sibi invicem.

Dum cantatur in choro *adoramus te—gratias agimus*, etc., detegunt omnes caput, et illud cruci inclinant. Quantum ad manus, habeant illas extensas supra genua, et melius infra casulam vel dalmaticam; pedes verò teneant juxta se positos non autem extensos vel complicatos, et oculos constanter ad terram demissos. Hic tantum restat notandum, quòd, ante discessum ab altari, cavendum sit ne cantetur *adoramus te*, vel *gratias agimus tibi*, infra incessum; quare si hoc prævi-

deatur, aliquantulum est expectandum in altari, ut ibi fiat inclinatio ad crucem (1).

Choro incipiente ultimum versiculum *cum Sancto Spiritu*, surgunt ministri, caput detegunt, birretaque deponunt super scamnum vel sedilia, aut ad alia loca transferenda præbent acolythis: diaconus, deposito suo birreto, accipit, quasi cum osculo, hoc est cum demissione capitis, birretum celebrantis adhuc sedentis, et ponit in scamno, vel illud dimittit acolytho. Erecto celebrante, eodem ordine, quo discesserunt ab altari, ad illud redeunt, scilicet primò incedente subdiacono, secundò diacono, et tertio celebrante, non per viam breviorē, verum per altaris medium; ubi ministri flectunt supra gradum inferiorem, celebrante se tantum inclinante, si in altari non sit tabernaculum. Erecti, dum ascendit celebrans ad altare, ministri, si opus sit, ascendunt usque ad secundum altaris gradum, elevantes vestimenta celebrantis: in secundo gradu remanet diaconus retrò post celebrantem, et subdiaconus descendens se sistit in suo loco post diaconum.

Si non fiat sessio prout fieri non debet exposito Sacramento, quod nec velari potest sub *Gloria* et *Credo*, ad hoc ut sessio fieri possit, prout malè practicatur in quibusdam locis; dum cantatur *Gloria* à choro, stant ministri à lateribus

(1) Celebrans in missa solemnī procedere debet ad præparatam sedem, aperto capite, et ita regredi ad altare, quando sedere debet, dum cantatur hymnus angelicus et symbolum apostolorum, sed ad illa verba, quæ cantantur in choro, ad quæ fieri debet inclinatio, tenetur se inclinare nudo capite, non obstante contrariâ consuetudine. S. R. C. 22. Maii 1676.

celebrantis, inclinantes cum eo caput, quando cantatur *adoramus te — gratias agimus*, etc., tandem dum celebrans manus deponit sub his verbis, *cum Sancto Spiritu*, etc., absque sui signatione, præviâ tamen genuflexione discedunt, et se constituunt in suis respectivè locis à tergo celebrantis.

ARTICULUS IV.

De orationibus usque ad symbolum.

I. CELEBRANS, ut cantavit *Dominus vobiscum* (1), discedit de medio altaris, et se confert ad cornu epistolæ. Porrò cum eodem discedunt ministri absque genuflexione, sed præviâ capitis inclinatione cruci. *Ministri accedentes ad medium altaris, vel ab eo recedentes absque genuflexione, tenentur ad inclinationem profundam capitis coram cruce altaris; ad illam quippè tenetur celebrans, et consequenter à fortiori ministri: excipe accessus ad medium ante hymnum angelicum et symbolum; in his enim casibus expectant, donec celebrans sub intonatione caput inclinet.* Stantes ministri in cornu epistolæ, unus post alterum, facie versâ ad altare, inclinant caput cum celebrante ad crucem quotiescumque dicit *oremus*: item dum infra orationes profert nomen *Jesu, Mariæ*, etc.

II. Circa finem ultimæ orationis (debet ergò subdiaconus præviè scire numerum orationum

(1) Utrùm ministri respondere debeant sacerdoti, quando chorus ei respondet, non declarat rubrica. Undè ex illius silentio inferri potest cum *Bauldri*, et *Cavalieri*, ministros non teneri his respondere.

ante epistolam recitandarum) accipit de manibus magistri cæremoniarum, vel thuriferarii, aut alterius librum epistolarum cum inclinatione capitis mutua, id est tam ex parte accipientis quàm librum offerentis : tenet autem subdiaconus librum ambabus manibus, sic ut dorsum illius versetur ad latus suum dextrum, et pars superior quiescat supra suum pectus. Sic tenens librum, et factâ iterùm ex parte utriusque capitis inclinatione, accedit ad medium altaris, ibique genuflectit supra infimum altaris gradum; sed, quantum fieri potest, debet ita procedere, ut genuflectat quando celebrans dicit *Jesum Christum* ultimæ orationis, si reperiatur in ipsius conclusione; aliàs si oratio terminatur, *qui vivis et regnas*, debet ita tempestivè flectere, ut redux ad suum locum possit incipere epistolam statim post conclusionem ultimæ orationis.

III. Finitâ conclusione ultimæ orationis, stans in suo loco subdiaconus, facie versâ ad altare, et tenens ambabus manibus librum apertum, vel, si sit pulpitem super quo liber ponatur, hinc et indè ponit manus supra librum, et voce clarâ ac sonorâ cantat epistolam (1). Quòd, si in-

(1) Ante sæculum XIV. subdiaconus ex officio epistolam non cantabat, prout colligitur ex *Durando*, qui floruit senescente sæculo XIII. et qui lib. 2. cap. 8. n. 4. refert subdiaconum præter ejus officium lectiones in missa cantare : sed paulò pòst constat juxta *Catalanum*, tom. I. tit. 10. n. 15. ex pontificalibus Arelatensi, Andegavensi et Vaticano manuscripto de traditione libri epistolarum, factâ subdiacono sub præscripta verborum forma, quibus ei facta est potestas et munus cantandi epistolam sub missa solemnè. Illam equidem antè cantavit, sed ex commissione, non verò ex ordinis officio.

fra illam nomen *Jesu*, vel sancti, cujus missa legitur, aut fit specialis commemoratio, proferatur, inclinat caput ad nomen *Jesu*, versùs crucem altaris, et ad nomina sanctorum versùs librum: si verò quædam verba exigant genuflexionem, illam perficit in suo loco. Finitâ epistolâ, claudit librum, et portans eum ut suprâ, id est, dorso libri versante ad dexteram suam, et parte superiore illius supra pectus quiescente, accedit ad medium altaris, et uno genu flectit in infimo gradu. Erectus transiens à tergo diaconi, vadit ad celebrantem in cornu epistolæ, ubi utroque genu flexus paululùm deflectit librum ad dictum celebrantem, cujus manum supra librum positam reverenter osculatur, et capite inclinatus ab illo deindè benedicitur (1).

IV. Acceptâ benedictione, se erigit, et per suam sinistram se vertens, progreditur ad diaconum, cui antequam offerat missale, debet

(1) Subdiaconus ante et post epistolam coram altari genuflectit. Ut hujus ceremoniæ ratio capiatur, sciendum est epistolam olim fuisse in ambone (latine suggestu) cantatam, ut meliùs fideles instructionis fierent participes, quod hodièdùm in nonnullis observatur ecclesiis: porrò ante discessum è sanctuario, et post reditum in illud, reverentiam altari exhibebat, quod retentum est, quamvis prope altare jam epistola cantetur. Defert librum super pectore quiescentem pro majori commoditate. Lectâ epistolâ accedit ad celebrantem, coram eo genuflectit ad benedictionem, manum illius osculatur in signum reverentiæ erga illum, et venerationis erga instrumentum, quo est benedicendus. Olim benedictio hæc fiebat his verbis teste *Devert*, tom. III. Rub. 57. *Benedictus sis, et benedictus sermo oris tui; in nomine Patris et Filii* etc. sed jam benedictio solo crucis signo sine verbis completur. Interim ex citatis verbis patet finis hujus benedictionis, nempe datur, ut instructio lectione epistolæ disseminata fructificet.

illud sic convertere, ut dorsum illius respiciat suam sinistram. Converso missali, stans facie ad faciem diaconi, illum salutatur, inclinatione capitis; tum ei offert missale, et demùm ei caput inclinatur.

Quòd si liber, quo usus est subdiaconus, contineat solas epistolas, ita ut alius liber tradi debeat diacono ad cantandum evangelium; tunc subdiaconus post benedictionem erectus reddit librum epistolarum acolytho, vel alteri, inclinans ei caput ante et post libri traditionem, post quod redit ad cornu epistolæ translaturus missale celebrantis.

Redeundo ad casum ordinarium, quo subdiaconus et diaconus utuntur eodem libro; subdiaconus, factâ diacono capitis inclinatione, se per suam dexteram vertens, ne terga ostendat altari; redit ad cornu epistolæ, et ascendens per gradus laterales altaris, se sistit in loco in quo stabat celebrans infra lectionem epistolæ, ac facie totaliter conversâ ad missale, illud claudit, ita ut folia ipsius respiciant medium altaris; illud deindè accipit ambabus manibus, partem illius superiorem demittens supra pectus: tum se vertens per suam sinistram descendit per gradus laterales altaris in eodem cornu epistolæ, et transiens post tergum diaconi, flectit in medio altaris, erectusque tendit per viam breviorē ad cornu evangelii, ubi locat obliquè librum, sic ut pars illius superior respiciat angulum posteriorem cornu evangelii; quo peracto, descendit in primum vel secundum gradum prope ipsum cornu evangelii, et facie versâ ad missalē, respondet celebranti *et cum spiritu tuo. Gloria tibi,*

Domine; se signat simul cum celebrante et eodem modo, id est, apponit manum sinistram infra pectus, cujus omnes digiti debent esse sibi invicem juncti et extensi, et manu dextrâ pariter compositâ, solo pollice discreto ab aliis digitis illius extremitate facit signum crucis supra frontem, secundum supra os, et tertium supra pectus. Errant ergo qui simplicem lineam ducunt à fronte usque ad pectus.

Toto tempore evangelii stat in eodem loco subdiaconus manibus junctis; genuflectens et caput inclinans cum celebrante versùs librum ad nomen *Jesu, Mariæ*, etc. In fine respondet *laus tibi, Christe*. Si vertendum sit folium, illud vertit subdiaconus, necnon, si opus sit, elevat missale pro majori facilitate celebrantis; si hæc tamen commodè præstare possit.

Hic notandum quòd, si supra altare sit tantum unum pulpitem, vel unus cussinus, subdiaconus clausum missale versùs medium altaris debeat transferre supra cussinum, vel pulpitem.

V. Dicto *laus tibi Domine*, etc., ascendit, et transfert pulpitem cum missali versùs medium altaris: tum factâ unius genu flexione unâ cum diacono, et non antè, per suam dexteram, et per gradus anteriores altaris descendit in planum capellæ, ubi per suam sinistram se convertit ad altare, ibique stans extra medium altaris paulò versùs cornu evangelii, sic ut habeat faciem totaliter ad altare conversam, expectat discessum diaconi.

Si cantetur aliqua prosa, quæ nondum finita sit post evangelium, subdiaconus accedit ad altare, ubi flectit à sinistris celebrantis, erectusque

stat ibi, donec circa finem prosæ descendat diaconus. Pariter quando thus imponitur ad incensandum evangelii librum, stat à sinistris celebrantis, donec, injecto thure, descendat diaconus: antequam autem descendat ex altari, iterum flectere debet, ac constitutus in plano capellæ, ut suprâ dictum est, ibi hæret quoad usque diaconus descenderit è gradibus altaris, quocum factâ simul genuflexione, parum se removet ab altari, et sinit coram se transire diaconum, quem, à sinistris ipsius incedens, concomitatur ad locum usque, ubi solet evangelium cantari, ibique conversâ facie ad diaconum, de manibus illius accipit missale, quod tenet ambabus manibus apertum, et ante pectus ita elevatum, ut facies ipsius subdiaconi à libro tegatur. Porrò subdiaconus ad instar pulpiti materialis, cujus vices supplet, stat in illo situ immobilis absque sui signatione, capitis inclinatione, aut genuflexione infra evangelium.

Si sit pulpitem, supra quod ponatur liber evangeliorum, subdiaconus per dextram pulpiti incedens se locat retrò post pulpitem, facie versâ ad diaconum, ubi stat erectus, junctis manibus, tempore quo cantatur evangelium: cum autem non sit impeditus, se signat cum diacono sub his verbis *initium*, vel *sequentia S. evangelii*, absque ulla conversione ad crucem; item genuflectit, aut caput inclinat versùs librum cum eodem diacono ad ea, quæ infra evangelium genuflexionem, vel inclinationem exigunt.

Finito evangelio, si librum tenuerit subdiaconus, illum declinat supra brachium sinistrum apprehendens manu sinistrâ partem lateralem

illius et dextrâ inferiorem; sibique monstrato à diacono textûs evangelii initio, transiens coram diacono, viâ rectâ, absque ulla in medio altaris genuflexione vel inclinatione tendit ad celebrantem, cui extremitate manûs dextræ inversæ ostendit osculandum initium textûs, id est, verba, post *in illo tempore*, si per illa incipiat evangelium; aliàs prima verba, uti in evangelio dominicæ quartæ adventûs, quod incipit immediatè *anno quinto decimo*, etc. Osculato à celebrante evangelio, claudit librum versûs latus suum sinistrum, et factâ celebranti capitis inclinatione, descendit, factâque coram altari genuflexione extra gradus, acolytho sibi occurrenti reddit librum, antè et post ei caput inclinans; vel si desit acolythus, aut alter, ipsemet defert ad credentiam, vel alium locum (1): quo deposito, redit ad medium altaris, retrò post diaconum; nec ibi genuflectit.

Si cantatum fuerit evangelium supra pulpitem, eo finito, discedens per suam dextram transit ad sinistram diaconi; et postquam diaconus ipsi monstravit initium textûs, accipit de pulpito librum, et tenens, ut suprâ, apertum, omnia peragit, ut antè dictum est. Hic solùm restat notandum, quòd subdiaconus monstrans celebranti initium textûs evangelii, nihil debeat proferre; adeoque omittere *hæc sunt verba sacra*.

(1) Subdiaconus librum tenet coram diacono, si opus sit, illum defert ad celebrantem osculandum, et deindè ad acolythum vel credentiam: hæc omnia agit quâ ministrans seu serviens sub missa solemnè immediatè diacono: undè et nomen subdiaconi habet

ARTICULUS V.

De symbolo usque ad orationem dominicam.

I. SUBDIACONUS, redux ad medium altaris retrò post diaconum, absque eo quòd adveniens faciat genuflexionem, dum celebrans cantat *Credo in unum Deum*, sub *ly Deum* inclinatur caput cum celebrante et diacono, et deindè relevato capite genuflectit. Erectus ascendit ad latus sinistrum celebrantis, et cum eo recitat, submissà voce, manibus junctis, *Patrem omnipotentem*, et reliquum, inclinans caput ad *Jesum Christum*, genuflectens ad *et incarnatus est*, etc., inclinansque iterùm caput sub *ly adoratur*, et se signans sub ultimis verbis *et vitam venturi sæculi. Amen.* Dum celebrans inclinatur caput pro descensu ad *versum qui propter nos homines*, genuflectit, et se vertens per suam dextram, descendit cum celebrante, cum eodem flectit duobus genibus, et sub toto versu *et incarnatus*, etc. caput profundè inclinatur. Cantato *et homo factus est*, se erigit cum celebrante; cum eodem ascendit ad altare, quò adveniens genuflectit. Erectus stat manibus junctis ad latus celebrantis usque ad finem symboli, donec nimirùm celebrans deponat manus super altare sub his verbis à choro cantatis *et vitam venturi*, tunc iterùm genuflectit, et discedens per suam dextram se sistit in suo loco retrò post diaconum absque nova genuflexione.

Si fiat sessio infra symbolum, subdiaconus se gerit, ut diximus de hymno angelico, flectens et caput inclinans cum celebrante.

II. Dicto symbolo, vel si non dicatur, quando celebrans post *Dominus vobiscum* cantat *oremus*, caput inclinat subdiaconus, dictoque integrè *oremus*, genuflectit; et quamvis calix esset in altari paratus, nihilominùs, antequam ascendat ad altare, vadit ad credentiam, vel sacristiam, ut induatur humerali; quo indutus, manibus junctis, ad altare ascendit, ubi constitutus à dextris diaconi, expectat donec diaconus acceperit de calice patenam: tum accipit calicem per nodum cum manu sinistra, et quatuor digitis manùs dexteræ deprimit partem purificatorii usque ad fundum cuppæ; pollice verò premit contra labium calicis exterius partem ejusdem purificatorii labentem paululùm extra cuppam, sic autem apprehensum calicem elevat ab altari, parùmque inclinans versùs cornu epistolæ, illum abstergit interiùs, et exterius, semel aut iterùm illum gyrando.

Absterso calice, sinistrâ manu sustinet extremitatem purificatorii juxta partem superiorem cuppæ, sic ut alia extremitas versetur super pedem calicis; tum pollice dextro apprehendit partem superiorem dicti purificatorii, aliis digitis complectens cuppam calicis: pollice autem sinistro, aliis digitis extensis, premit aliam extremitatem supra pedem. Porrò sic tenens calicem, illum declinat ad suâ sinistram, seu versùs diaconum, illumque deponit immediatè super mensam altaris, et apprehensum à diacono, absque osculis, illi dimittit.

Postea se convertens ad acolythum, de manu illius accipit ampullam, vel urceolum cum vino, cujus manubrium offert diacono sine osculis. Re-

cepto de manu diaconi urceolo, eoque restituto acolytho, subdiaconus accipit ampullam aquæ, vel juxta usum hujus patriæ cum cochleari parvo suscipit aquam de urceolo, et habens manum sinistram corpori applicatam, dextrâ tenet cochlear aquâ plenum supra calicem, invitatque celebrantem ad aquæ benedictionem his verbis, *Benedicite, pater reverende*; benedictâ aquâ, et non antè, subdiaconus paululùm illius in vinum infundit (1).

Hic nota subdiaconum teneri sub gravi miscere aquam; adeòque diligenter advertere debet, ut ex cochleari aqua fluat in vinum. Si quid sit residuum aquæ in cochleari, illud refundit in urceolum: postea autem deposito cochleari in altare juxta velum calicis, si sit in altari, jungit manus, et facie versâ ad altare, expectat patenam sibi à diacono porrigendam, quam sine osculo recipit manu dextrâ inter pollicem et quatuor alios digitos retrò positos, ita ut pars concava respiciat pectus suum. Tectâ autem à diacono patenâ extremitate humeralis pen-

(1) Subdiaconus mundans calicem, offerens diacono vinum. et aquam in calicem infundens, facit actum sui ordinis, de quo in illius ordinatione fit mentio per traditionem calicis vacui, et patenæ pariter vacuæ sub his verbis: *Videte cujus ministerium vobis traditur, ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis*, et deindè per traditionem urceolorum cum vino et aqua, ac bacilis cum manutergio. De his meminit concilium Carthaginense IV. sub anno 254. celebratum Canone V. *Subdiaconus, inquit... de manu episcopi accipiat patenam vacuum, et calicem vacuum; de manu verò archidiaconi urceolum cum aqua, et mantile, et manutergium*. Sed advertendum hanc functionem subdiaconi, tunc temporis non fuisse actum ordinis majoris, cum ex dictis seriùs subdiaconatus ad illum gradum fuerit evectus.

dente ad latus dextrum subdiaconi, discedit per suam sinistram absque genuflexione aut inclinatione, incedendo tenens patenam ante pectus, ei tamen physicè non adhærentem.

Cùm pervenit ad locum suum retrò post celebrantem, flectit uno genu. Erectus elevat patenam usque ad faciem, sustinetque eam coram facie elevatam, sustentans, si opus sit, brachium dextrum manu sinistrâ: casu verò, quo non sic sustentet, sinistram applicat corpori. Subdiaconus autem tenens patenam infra incensationem non genuflectit, nec caput inclinat, nec transit de medio cum celebrante, nequidem ad lotionem manuum (1).

(1) Sex primis Ecclesiæ sæculis super patena consecrabantur hostiæ, frangebantur, et ex illa distribuebantur, prout patet ex his verbis Sacramentarii *S. Greg.* apud *Menardum*, pag. 154, *consecramus et sanctificamus hanc patenam ad conficiendum in ea corpus Domini nostri Jesu Christi*, sed à duodenis circiter sæculis hostiæ consecrantur super linteo: hic usus refertur in missæ Ambrosianæ liturgico, tom. 1. p. 297. Cessante autem usu consecrandi hostias super patena, cùm hæc inutiliter locum teneret in altari, tollebatur à subdiacono vel clerico minori, præsertim cùm olim patena esset amplior (ex pontificali quippè Damasi Papæ aliquæ habebant pondus 25. aut 30. librarum), et consequenter impediret sacerdotem in altari operantem; indeque fuit usus hodiernus tollendi patenam de altari. Aliis tamen, inter quos *Devert*, magis placet tolli patenam in signum communionis distribuendæ; hanc rationem habet missale ecclesiæ Parisiensis; ideòque in ecclesia Turonensi puer sub initio orationis dominicæ in medio chori ostendit adstantibus patenam, ut communicandi se præparent, et deindè illam tradit subdiacono: hincque patet ratio, cur patena non tollatur ex altari sub missis de *requiem*, et feriâ vj. majoris hebdomadæ: quia nempè tunc non distribuitur communicatio. Circa varietatem ritûs, quo patena tollitur, in ecclesia Parisiensis ab offertorio usque ad orationem dominicam, puer choro addi-

Nota quòd, si abusivè contra rubricam, subdiaconus velo non se coöperiat; nec patenam consequenter sustineat, post infusionem aquæ statim descendat de altari absque genuflexione, flectatque tantùm in termino ad quem, id est, in plano capellæ, ubi deindè erectus stat manibus junctis. Discedente celebrante ad lavandas manus, cum eo discedit (1). Constitutus in cornu epistolæ convertit faciem ad altare; quamvis celebrans aliquamdiù maneat conversus ad acolythum; redeunte celebrante ad medium altaris, simul redit subdiaconus, caputque cruci inclinat.

Si calix non sit in altari, dicto *oremus*, subdiaconus genuflectit, et vadit ad locum, ubi calix est paratus, ibique induitur velo oblongo, seu humerali; tum deposito velo calicis (2) ab acolytho, vel ab ipsomet subdiacono, si desit alter qui id agat, manu sinistrâ apprehendit calicem per nodum, et super calicem tectum à ministro inferiore, vel ab ipso subdiacono extremitate veli oblongi seu humeralis, superimponit

et illam custodit in vase argenteo, è quo subdiaconus illam accipit sub initio orationis dominicæ, tenetque elevatam et populo patentem usque ad *panem nostrum*, tunc dimittit diacono, qui pariter illam populo ostendit in *signum instantis communionis*. Juxta missale Gratianopolitanum anni 1522., patena involvitur velo calicis, et deponitur ad dexteram celebrantis in altare. Carthusiani retinent illam partim sub corporali, uti in missa privata. Ritu ecclesiæ Leodiensis sustinetur à subdiacono nuda et patens, usu verò Romano velata munditie causâ, seu ne sordescat pulveribus, seu fumo incensi, etc.

(1) *Merati*, p. 2. tit. 7. n. 50.

(2) Ita *Gavantus*, *Bauldry*, *Bissus*, *Lohner*, à *Portu*, *Merati*, et *Janssens* contra *Castaldum* et *Bratton*, qui volunt calicem esse deferendum ad altare cum suo velo.

manum dextram extensam, ne aliquid decidat è calice. Hic nota 1.^o calicem esse tegendum solâ extremitate partis lateralis veli oblongi respondentis dexteræ subdiaconi, aliâ parte totaliter pendente. Nota 2.^o manum dexteram subdiaconi esse ponendam supra ipsum velum.

His ergò subdiaconus munitus, per suam sinistram se convertit ad altare, et ad illud incedit viâ breviori, id est, per gradus laterales cornu epistolæ. Constitutus à dextris diaconi sine genuflexione dimittit ei calicem supra altare positum juxta ipsum; jungens autem manus quiescit, donec diaconus acceperit de calice patenam (1), et tunc subdiaconus accipit calicem, et omnia peragit, ut suprâ.

Si non fuerit cantatum symbolum, quo casu bursa cum corporali remanet supra calicem, subdiaconus, deposito velo calicis, et supra palmam repositâ bursâ, calicem accipit, ut antè dictum est.

III. Dum celebrans dixit: *Orate, fratres*, respondet absque inclinatione capitis, sed patenâ ante pectus demissâ (2): *Suscipiat Dominus sa-*

(1) Ita *Merati et Cavalieri*. Equidem in cær. episc. lib. 2. cap. 8. §. 4. præscribitur patenam esse recipiendam à diacono de manibus subdiaconi, sed profectò habent hanc rubricam tanquam specialem respectu missæ episcopalis, in qua multitudo ministrorum, et notanter sacristæ, qui debet è duabus hostiis patenæ superpositis, unam prægustare, facillè impedire potest, quominùs diaconus commodè patenam accipere possit: et cùm hæc ratio non militet in aliis missis, ideò hæc rubrica sub silentio retenta est in missali romano.

(2) Utrùm subdiaconus sustinens patenam, illam paululùm demittere debeat ante pectus, dum respondet celebranti: *suscipiat Dominus sacrificium*, et dum caput inclinat cum celebrante sub cantu præfationis B. M. V. non invenitur de-

crificium de manibus tuis ad laudem, et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ. Quo absoluto, elevat patenam ut antè.

IV. Sub præfatione inclinatur caput ad crucem cum celebrante sub *ly nostro* post *gratias agamus Domino Deo*. Item in præfatione B. M. V. ad nomen *Mariæ* versus librum, et ad nomen *Jesu* versus crucem. Sub his tribus inclinationibus, demittit subdiaconus patenam ante pectus, et post quamlibet mox illam erigit.

Circa finem præfationis, demissâ iterum patenam ante pectus usque ad reditum, flectit cum diacono, et ascendit ad sinistram celebrantis, ubi mediocriter corpore inclinatus dicit submissâ voce: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, etc. Ad *benedictus qui venit*, etc., se erigit cum celebrante, non se signans, eò quòd sit patenam impeditus. Dum celebrans incipit canonem, genu uno flectit simul cum diacono, et erectus redit ad suum locum retrò post celebrantem, ubi non genuflectit, sed tantum elevat patenam ante faciem, prout ante discessum.

cisum, neque in rubricis, neque in auctoribus. Interim identitate quâdam rationis dici potest, quòd si subdiaconus, dum incensatur à diacono, et dum procedit ad altare in fine præfationis, patenam demittere teneatur, prout habent communiter auctores in re liturgica, ita similiter in casibus suprâ positis demittere eam debeat; nam si dedecet subdiaconum habentem faciem patenam velatam agere cum diacono ipsum incensante, à pari et quidem à fortiori ipsum dedecet agere velatâ facie cum Deo, et beata Virgine Maria. Sicque à multo tempore habet usus hujus diœcesis; adeoque in casibus suprâ relatis videtur patena paululum demittenda.

Si fortè non teneret patenam, tunc manibus junctis diceret *Sanctus* cum celebrante, et ad *benedictus* se cum eo signaret, necnon ante genuflexionem manu dextrâ, sinistrâ admotâ corpori, vertens folia missalis objiceret celebranti initium canonis, post quod flecteret, et ad locum rediret.

V. Quando celebrans dicit *quam oblationem*, seu quando diaconus flectit à dextris celebrantis, subdiaconus etiam flectit duobus genibus (nota benè ex rubrica) in suo loco, tenens patenam ante pectus, sine tamen tactu physico illius, et caput inclinans, dum elevantur sacræ species.

Quantùm ad thuriferarium, statuitur à rubrica, ut infra consecrationem utroque genu flexus, non in medio altaris, sed à dextris subdiaconi, ter incenset sanctissimum Sacramentum, 1.º dum celebrans genuflectit, 2.º dum elevat corpus Christi, 3.º dum, depositâ hostiâ, iterùm genuflectit: idemque præstat sanguini consecrato, præmittens ante et post cujuslibet speciei incensationem, capitis profundam inclinationem.

VI. Peractâ consecratione, se erigit simul cum celebrante et diacono. Erectus, elevatâ patenâ ante faciem, stat ad finem orationis dominicæ, inclinans solummodò caput ad *oremus* ante orationem dominicam, et simul admovens patenam ante pectus.

ARTICULUS VI.

*De oratione dominica usque ad communionem
inclusive.*

I. Si patenam sustineat subdiaconus, circa finem orationis dominicæ, flectit uno genu simul cum diacono, et ascendit ad altare in cornu epistolæ, ubi constitutus à dextris diaconi, ei offert patenam nondum detectam, et quam ipse diaconus detegit: dimissâ sine osculo patenâ, subdiaconus ab acolytho exuitur humerali, factâque in altari genuflexione, junctis manibus, redit ad suum locum retrò post celebrantem, ubi denuò non genuflectit; sed simpliciter faciem vertit ad altare per suam dexteram.

II. Dum dicitur *pax Domini*, etc. genu uno flectit in suo loco, et ascendit ad sinistram celebrantis, ubi iterùm genuflectit unâ cum celebrante post coöpertum à diacono calicem. Erectus, capite inclinato, simul cum celebrante dicit voce submissâ, et junctis ante pectus manibus, *agnus Dei*, etc., dicturus *miserere nobis* disjungit manus, sinistram applicat corpori, et dextrâ modicè incurvatâ, seu potius extremitate digitorum illius percutit pectus, dicens *miserere nobis*; secundò dicens *agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, lentè removet dextram à pectore, et sub *miserere nobis* iterùm pectus percutit, quod et tertio facit sub his verbis *dona nobis pacem*.

III. Dictis *agnus Dei*, se erigit, et deindè manibus junctis flectit uno genu, ac postea redit ad locum retrò post celebrantem; dum accedit

ad eum diaconus pro danda pace, ei caput inclinat sine prævia genuflexione; tum appropinquans genam sinistram genæ sinistræ diaconi, et eum amplectens utrâque manu infra brachia, recipit pacem sequentibus verbis *pax tecum*, cui respondet vocæ subaltâ *et cum spiritu tuo*. Acceptâ pace, iterùm junctis manibus, inclinât caput diacono, et lentè, facie ad altare conversâ, flectit in suo loco simul cum diacono. Erectus et ab acolytho, si adsit, comitatus, discedit de medio versùs chorum respondentem cornu epistolæ; ibi obviam factus uni de choro sine inclinatione deponit utramque manum in ipsius humeros, et admovens genam sinistram genæ eidem ipsius absque tactu physico, dicit *pax tecum* (1). Post quod, paululùm remotus à receptore pacis, ei exhibet capitis inclinationem; tum se vertens per suam sinistram, se transfert ad alium chorum cum genuflexione in medio altaris, et cæremoniis suprâ relatis dat pacem ad se accedenti.

Si sint in choro personæ diversi ordinis, v. g. canonici et beneficiati, pax dari debet, primò canonicis, deindè beneficiatis, servando morem cujuslibet ecclesiæ.

IV. Datâ pace in cornu evangelii, subdiaconus redit ad locum suum in medio sanctuarii, ubi factâ genuflexione, si habeat acolythum comitem, uno vel altero passu progressus de medio altaris versùs cornu epistolæ, convertit suam

(1) Regula generalis : ferens pacem non debet caput inclinare recipienti ante, sed tantùm post datam pacem; verùm recipiens debet antè et post inclinare caput pacem ferenti.

sinistram ad altare, et coram se habens acolythum, ei dat pacem, ut suprâ, qui et alteri dat acolytho, et hic alter iterum alteri. Si verò non habeat aliquem comitem, factâ genuflexione in medio altaris, ascendit ad dexteram celebrantis, ubi non amplius genuflectit, nisi cum celebrante; casu quo in accessu subdiaconi ad altare nondum absolvisset orationes ante communionem recitandas. Dum celebrans dicit *Domine, non sum dignus*, mediocriter corpore inclinatus percutit ter pectus nihil dicens; deindè (nota benè è rubrica) profundè se inclinat; adeoque inclinatio mediocris sub *Domine, non sum dignus*, etc. convertenda est in profundam corporis, sub quâ conversus directè ad altaris parietem manet, donec celebrans, sumpto corpore Christi, se erigat.

V. Dum se erigit celebrans, simul se erigit subdiaconus, et quando celebrans deponit manus supra pedem calicis, subdiaconus, appositâ corpori sinistrâ, dexterâ manu aufert pallam è calice, et ponit supra mensam altaris extra corporale, statimque junctis manibus, flectit cum celebrante. Erectus, stat facie versâ ad altare, donec celebrans sumpturus est sanguinem è calice, tunc subdiaconus se profundè inclinat, ut infra sumptionem corporis.

Hausto calice, si distribuenda sit communio, subdiaconus accipit pallam, et eâ tegit calicem; tum dato capite signo discessus diacono, discedit de altari sine genuflexione, sed transiens ante medium altaris, flectit retrò post diaconum simul cum eo. Erectus se transfert ad cornu evangelii, ubi in plano capellæ, si non sint multi gradus in altari, vel si sint plures gradus, in

primo seu inferiori gradu constitutus, facie versâ ad diaconum, se profundè inclinât corpore, inclinatusque permanet à tempore, quo diaconus incipit confessionem, donec celebrans absolverit *indulgentiam*, interea autem silet subdiaconus, seu non facit confessionem, nec *amen* celebranti respondet. Si non communicet, flectit duobus genibus in suo loco supra altaris gradum; si verò intendat communicare, dicto *indulgentiam*, etc., se erigit et ascendit, circulariter incedendo, ad superiorem gradum altaris, ubi flectit duobus genibus coram celebrante habens à dextris diaconum, si ipse pariter communicet. Perceptâ communionem, infra quam elevat extremitatem casulæ celebrantis, ne hostia casu decidens eat in terram, surgit, et eâdem viâ, quâ ad medium accesserat, redit ad cornu evangelii flectitque duobus genibus in loco, undè priùs discesserat, ibique oculis ad terram demissis et manibus junctis, manet quietus in meditatione beneficii sibi à Deo præstiti, abstinens ab omni oratione vocali.

Peractâ communionem, et repositâ pyxide, surgit subdiaconus et incedens per planum capellæ ubi flectit uno genu in medio, se transfert ad cornu epistolæ, absque nova in accessu genuflexione. Stans à dextris celebrantis, dum ipse deponit manus supra pedem calicis, dextrâ manu tollit pallam, et ponit supra altare, ut antè dictum est, ministratque celebranti, ut sequitur.

VI. Sanguine sumpto à celebrante, corpore jam erectus accipit de manu acolythi urceolum cum vino, et infundit manu dextrâ vinum in calicem ad nutum celebrantis. Sumptâ primâ purificationem, dum celebrans discedit è medio pro altera

purificatione, se convertit ad eum paululum se retrahens versùs cornu epistolæ, vinumque infundit supra pollices et indices utriusque manûs celebrantis; tum reposito urceolo in manu sinistra acolythi, de manu illius dextera accipit urceolum aquæ, et ex illo similiter infundit aquam supra indices et pollices celebrantis, quantùm ad sinistram, tenet eam subdiaconu infra utramque purificationem, corpori applicatam.

ARTICULUS VII.

De reliquis ad subdiaconum spectantibus.

I. MINISTRATA purificatione, et redditâ ampullâ aquæ acolytho, subdiaconus accipit dexterâ pallam, et sinistrâ cochlear parvum (1); tum inclinato versùs diaconum capite in signum discessûs absque genuflexione, abit per suam sinistram, in medio flectit retrò post diaconum, et deindè ascendit ad altare juxta latus sinistrum celebrantis, ubi, absque prævia genuflexione, depositis in altare iis, quæ habet præ manibus, accipit calicem per nodum manu dexter, et deindè illum tenens sinistrâ per manubrium, illumque paululum inclinans versùs medium altaris, imprimis abstergit purificatorio (2) labia

(1) Velum è credentia ab acolytho est transportandum post communionem ad altare in cornu evangelii; quòd si fortè esset in cornu epistolæ, subdiaconus acciperet illud utrâque manu juxta extremitates, sic ut pars exterior respiciat altare, et infra processum, adstantes, tenensque pallam dexterâ, et sinistrâ cochlear, descendit, ut suprâ.

(2) In natali die Domini, infra primam et secundam missam, sumpto diligentius sanguine, celebrans deponit calicem

calicis exteriùs cum pollice premens partem purificatorii et intrà cuppam aliis digitis alteram illius partem; tum immittens purificatorium usque ad fundum cuppæ, similiter illum exsiccat semel aut bis tantùm gyrando calicem. Absterso calice, illum vestit, ut sequitur : 1.º purificatorio, quod extendit supra labium calicis, sic ut hinc et indè pendeat æqualiter, 2.º cochleari supra purificatorium, 3.º patenâ, 4.º pallâ 5.º velo, cujus partem posteriorem non revolvit supra calicem : tum accedens versùs medium altaris, plicat corporale in loco, ubi jacet, absque illius attractione, 1.º revolvens partem illius anteriorem, 2.º posteriorem, 3.º partem lateralem juxta cornu epistolæ et 4.º aliam : accipiens autem sinistrâ bursam, dextrâ in eam ita cautè immittit corporale, ut in illo nullus ulterior fiat plicatus : sicque ut extremitas seu fimbria partis ultimò plicatæ versetur juxta bursæ aperturam : bursam deindè locat supra calicem, sic ut apertura bursæ respiciat ipsum subdiaconum calicem ferentem. Accepto sinistrâ calice per nodum, et dexterâ calici superpositâ, si credentia, vel sacristia sit in cornu epistolæ, discedit per suam dextram, flectit in medio altaris, et deponit calicem in credentiam; vel deficiente credentiâ, in

supra corporale, eumque tegit patenâ et pallâ; postquam autem celebrans discessit de medio pro purificatione, subdiaconus calicem insuper tegit velo; et relinquens corporale et bursam in altari, à diacono post missam recipienda, eum accipit per nodum more ordinario, et transfert ad credentiam locans supra corporale. Hic notandum, quòd calix possit tantùm transferri è credentia in sacristiam ab aliquo constituto in sacris, quòdque in omni loco debeat supponi corporale.

sacristiam. Deposito calice, manibus junctis redit ad suum locum retrò post diaconum, absque genuflexione in accessu.

Si verò sacristia sit in cornu v angelii, factâ genuflexione accipit calicem per suam sinistram, discedit, et viâ breviori se transfert ad locum, ubi calix est deponendus. Rediens autem ad locum suum, si celebrans et diaconus adhuc sint in cornu epistolæ, transiens ante medium altaris uno genu flectit, et se sistit retrò post diaconum in linea recta: quòd si celebrans jam sit in medio altaris, accedens ad locum suum non genuflectit, ibique stans manet usque ad benedictionem celebrantis.

II. Cantato *ite, missa est*, vel *benedicamus Domino*, accedit subdiaconus ad altare, et flectit duobus genibus extra medium versùs cornu evangelii in secundo gradu, vel alio in quo flectit diaconus. Dum celebrans benedicit populo, caput profundè inclinat, et appositâ manu sinistrâ corpori, se signat dextrâ nihil dicens.

III. Datâ benedictione, se erigit, seque transfert ad cornu evangelii, ubi habens diaconum à dextris, respondet celebranti *et cum spiritu tuo: Gloria tibi, Domine*, se signans supra frontem, os et pectus cum celebrante, uti dictum est ad primum evangelium. Si legatur evangelium sancti Joannis, flectit cum aliis uno genu sub his verbis *et Verbum caro factum est*.

Si aliud legatur evangelium quàm sancti Joannis, dicto *ita, missa est*, subdiaconus factâ genuflexione in medio, ascendit ad cornu epistolæ, accipit missale, ut dictum est ante primum evangelium; et cùm descenderit de altari, flectit

duobus genibus cum missali supra aliquem altaris gradum ad latus sinistrum diaconi : infra benedictionem autem se inclinatur, sed cum sit impeditus, non se signatur. Post benedictionem erectus defert missale ad cornu evangelii, ubi illud collocat parum obliquè, et stans, ut supra dictum est, ibi manet usque ad finem, se signans cum celebrante, et caput inclinans versus missale, quoties celebrans suum inclinatur.

IV. Finito evangelio, et dicto *Deo gratias*, subdiaconus viâ breviori ascendit ad altare, et si missale adsit in cornu evangelii, nec illud clausurit celebrans, illud claudit vertens folia ad medium altaris; moxque constitutus à sinistris celebrantis, flectit uno genu etiam si celebrans non genuflectat; tum se vertens per suam dexteram, descendit de altari pari passu ac alii. Dum celebrans se convertit ad altare simul se ad illud convertit per suam sinistram, et facit uno genu flexionem. Erectus accipit de manu acolythi birretum, eoque caput cooperit, et primus incedens manibus junctis, redit ad sacristiam, ubi constitutus à sinistris celebrantis, appositâ manu sinistrâ corpori caput dexterâ detegit, et habens adhuc birretum in prædicta manu, cruci exhibet cum aliis capitis inclinationem : tum se vertens ad celebrantem, pariter eum salutatur capitis demissione. Deposito birreto, antequam se exuat propriis vestibus, adjuvat celebrantem se exuentem; quo exuto, seipsum exuit absque præcipitatione et debite componens vestes sacras supra mensam.

Hic ordo servandus est in vestium depositione ;
1.º deponit dalmaticam, 2.º manipulum, cujus

crucem osculatur, 3.^o cingulum, 4.^o albam, prius extrahens de manica sinistra brachium sinistrum, et deindè alterum ex altera, 5.^o amictum, cujus etiam crucem osculatur in medio.

Depositis sacris vestibus, subdiaconus in sacristia, vel templo per aliquod tempus vacat gratiarum actionibus, quibus debitè peractis recedit in pace.

Hic subjicimus decretum S. R. C. concernens officium subdiaconi: *Deficiente subdiacono pro missa solemni, datâ necessitate, potest permitti per superiores, ut substituatur constitutus in minoribus ordinibus ad cantandam epistolam, et ad reliquum subdiaconi officium peragendum, paratus absque manipulo, 4. Jul. 1698.*

Quomodo se gerere debeat subdiaconus, dum altare thurificatur, videndum est in tertia parte hujus tomi de officio sacerdotis. Quomodo, dum expositum est SS. Sacramentum, ibidem art. II. Quomodo, dum adest presbyter assistens, ibidem art. V.

PARS SECUNDA.

DE OFFICIO DIACONI (1).

ARTICULUS PRIMUS.

De vestitu diaconi, et aliis usque ad ingressum ad altare.

I. DIACONUS in statu gratiæ constitutus, horâ conveniēte accedit ad sacristiam, ubi aliquantulūm vacat orationi. Peractâ suâ oratione, ac-

(1) Vox diaconus idem sonat ac levita, seu minister, relativè nimirū ad episcopum, seu sacerdotem. Diaconi instituti sunt Act. 6. ab apostolis, circa hoc à Christo edoctis, ut observat *Thomassinus*, Part. 1. lib. 1. disciplinæ cap. 51. num. 3.; eosque divinæ esse institutionis, ostendit cap. 52. n. 3. Materia essentialis hujus ordinis est impositio manuum, sub qua apostoli septem primos diaconos creârunt; forma autem: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus. In nomine Domini.* Et cum frustra, seu sine effectu non dicat episcopus, *Accipe Spiritum Sanctum*, ut docet Trid. Sess. 25. can. 4. erui debet diaconatum verum esse Sacramentum. Quoad traditionem libri evangeliorum, prima illius mentio invenitur in ordine Romano, qui circa sæculum octavum vidit lucem; indèque concludunt nonnulli cæremoniam esse accidentalem hujus ordinis, quâ simpliciter fit potestas ordinato cantandi evangelium his verbis dictæ traditioni respondentibus: *Accipe potestatem legendi evangelium in ecclesia Dei tam pro vivis, quàm pro defunctis. In nomine Domini.* At communis sen-

capit librum , in quo cantare debet evangelium , quod perlegit ; adaptatque signaculum in loco , ubi extat evangelium in missa cantandum. Librum clausum defert ad credentiam , vel ad eam deferendum tradit acolytho. Quòd si subdiaconus eodem libro utatur pro epistola , ei dimittit ,

tentia post conc. Flor. in decr. pro instructione Armenorum tenet traditionem libri cum dictis verbis spectare ad essentiam hujus ordinis. Officia diaconi sunt sequentia è pontificali Romano : 1.^o *Ministrare ad altare* episcopo vel sacerdoti solemniter celebranti. 2.^o *Eucharistiam distribuere* , supposità nunc necessitate et legitimâ ad hoc deputatione , ut innuit conc. Carthag. 4. can. 8. his verbis : *Ut diaconus præsente presbytero Eucharistiam corporis Christi populo , si necessitas cogat , jussus eroget.* 3.^o *Baptizare* , scilicet solemniter , sed referente *Catalano* , tom. I. tit. 11. §. 4. n. 6. *S. Gelasius* hanc functionem restrinxit ad casum necessitatis , et absentiae presbyteri. 4.^o *Prædicare* , sed de licentia episcopi. Hæc autem officia sunt cœva ordini diaconatus , si excipiatur lectio evangelii , quæ primis sæculis commissa lectoribus invenitur ; legimus quippè Act. c. 8. *Philippum* diaconum docuisse et baptizasse eunuchum Candacis Reginae Æthiopum. Constat ulterius sanguinis Christi dispensationem diaconis fuisse commissam sub Ecclesiae initio , tum ex constitutionibus spostolicis , tum ex *S. Cypriano* , lib. de lapsis in fine , et ex his verbis *S. Laurentii ad Xystum* : *Experire ultrùm idoneum ministrum elegeris , cui commisisti dominici sanguinis dispensationem* : hinc cura viduarum et pauperum . ob quam creati sunt primi diaconi , præfata non excludebat ministeria. Apud *S. Cyprianum* Epist. 13. et in concil. Eboracensi anni 1194. can. 32. ac aliis antiquis monumentis legitur in casu necessitatis reconciliationem peccatorum , cum pœnitentiæ impositione diaconis fuisse commissam , sed non est sermo ibi de reconciliatione sacramentali ; quæ semper fuit reservata presbyteris : undè diaconi mittebantur ad infirmos , vel ut externè eos reconciliarent cum Ecclesia , vel ut hortarentur ad dolorem de peccatis. Quòd si eorumdem confessiones audirent , id fiebat ex parte pœnitentium præcisè ad sui humiliationem , et consequenter pœnitentia ipsis imposita sacramentalis non erat.

ut in eo perlegat epistolam. Deindè accipit missale ad usum celebrantis, in quo quærit missam à celebrante legendam, commemorationes, præfationem, et in quovis loco ponit signaculum; missale autem apertum transfert ad altare, ponitque supra cussinum, vel ibi ponendum tradit acolytho. Si esset sacerdos assistens, ei relinqueret curam missalis pro celebrante.

*Hic observa quòd, cùm officium diaconi sit quæ-
rere legenda celebranti, diaconus debeat habere ali-
quam cognitionem ordinis missalis, et rubricarum
missæ; in quo omnes ferè deficiunt.*

II. His ita dispositis, lavat manus, et se induit amictu, albâ et cingulo, uti dictum est de officio subdiaconi, Tom. II. part. 1. art. I. num. II. et III.; tum ambabus manibus accipit stolam, quam osculatur in medio, ubi est crux, sicque adaptat, ut medium stolæ, ubi habetur crux, sit supra humerum sinistrum, et extremitates illius pendeant infra brachium dextrum. Oratio autem respondens inductioni hujus vestis hæc est: *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdi in prævaricatione primi parentis, et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium; merear tamen gaudium sempiternum* (1).

(1) Diaconus olim stolam supra humerum sinistrum hinc et indè, id est ante et retrò rectâ effluentem ferebat; ita eum nobis exhibet *Ducange* in suo Glossario latino et græco; sed cùm extremitates stolæ sic dispositæ volitarent, Latini dictas extremitates attraxerunt sub brachium dextrum, illas vinculo unierunt, ac ad majorem earum stabilitatem superimposuerunt dalmaticam. Aliundè hic modus ferendi stolam distinctionem ponit inter sacerdotem et diaconum.

Diaconus antequam sumat manipulum et dalmaticam, induit unà cum subdiacono celebrantem; quare 1.º ipsi offert amictum juxta crucem osculandum; ponit dein amictum supra caput ipsius, moxque illum demittit supra humeros, sicque tegit collare amictu, ut non videatur; postea accipit chordulas amictus, easque ducit per modum crucis ante pectus, ita ut chordula pendens ad dextram ponatur supra alteram; chordulas autem ductas ad tergum, et à tergo reductas ad pectus nodo conjungit. 2.º Accipit albam, et unà cum subdiacono illà induit celebrantem, immittitque manicam dextram in brachium ipsius dexterum; et, si opus sit, manicam albæ figit aciculâ, ne decidat supra manum tempore sacrificii. 3.º Cincto celebrante, albam ita elevat supra cingulum, ut illius extremitates uno circiter pollice undequaque eleventur à terra. 4.º Accipit manipulum, cujus crucem osculatur, et deindè osculandam præbet celebranti, eumque

Græci ob rationem præactam, instante communionem stolam sic contorquent circa corpus, ut figuram crucis referat supra pectus et à tergo, in Euchol. Græc. p. 847. In ecclesiis Gallicanis ætate *Amalarii*, id est, sæculo 9. diaconi illam portabant pendentem hinc et inde ante pectus, prout portant sacerdotes extra sacrificium, sed ejusdem testimonio, quod exstat in præfatione 2. lib. de officio, Romæ diaconus ad evangelium deponens casulam, partes stolæ hinc et inde pendentes ex humero sinistro retrahebat ad latus dexterum subtus alam, iisque ibidem involvebat, seu alligabat casulam. Ast cum opus esset grave sic involvendi stolâ casulam, et dissolvendi post communionem, diaconus absolutè deseruit casulam, et stolam solùm ad latus dexterum retinuit. Stola est vestis propria diacono, sine qua inserviens missæ solemnæ non faceret actum sui ordinis. Hæc hic sufficiant, latiùs de hac veste in fine hujus tomi.

dein immittit in brachium sinistrum celebrantis. 5.º Accipiens stolam, eam pariter osculatur, et offert osculandam celebranti, tum eam applicat ad collum ipsius, statimque arripiens partem dexteram stolæ, illam præsentat subdiacono, à quo recipit partem illius sinistram subtùs dexteram, quam in modum crucis alligat cingulo cum extremitate ejusdem cinguli. Tandem unà cum subdiacono sine osculo elevat casulam, et eà coöperit celebrantem.

Hic notandum quòd, si celebrans seipsum velit induere, à variis obsequiis suprà relatis liberentur ministri: undè satis erit tunc, si ipsum adjuvent in iis, quæ celebrans exigit, vel permittit sibi præstari.

II. Induto celebrante, accipit manipulum cum osculo, et adaptat brachio sinistro infra cubitum. Tandem sine osculo se coöperit dalmaticâ, dicens: *Indue me Domine indumento salutis, et vestimento lætitiæ et dalmaticâ justitiæ circumda me semper* (1).

Si fiat ante missam processio, vel aquæ benedictio, ministri omnibus paramentis induuntur præter manipulum, quem solùm accipiunt ante ingressum ad altare pro missa celebranda.

(1) Vide notata Tom. II parte 1. art. 1. in fine.

ARTICULUS II.

De egressu è sacristia usque ad symbolum.

I. **DIACONUS** suis vestibus indutus accipit birretum, et illud tenens præ manibus, ut dictum est de officio subdiaconi, inclinatur caput imagini simul cum celebrante, moxque capite tecto, manibus junctis ante pectus, se parùm convertens ad celebrantem, illum salutatur parvâ capitis inclinatione, post quod se vertens per suam sinistram, incedit ad altare sequens subdiaconum. Si sacristia sit ex parte epistolæ, dum pervenit ad illius cornu, se paululùm retrahit ab altari, ut liber pateat celebranti accessus coràm se ad medium altaris. Post transitum celebrantis, accedit propiùs ad altare, et constitutus in linea recta cum aliis ad dextram celebrantis, tollit de capite suo birretum manu dextrâ, illoque statim apprehenso sinistrâ, dextrâ recipit birretum celebrantis et utrumque mox tradit acolytho, vel alteri.

II. Dimissis birretis, diaconus unâ cum subdiacono genu uno flectit, etiam si in altari sit solùm crux: quo in casu, celebrans exhibet tantùm cruci profundam corporis inclinationem. Erectus diaconus se signatur cum celebrante, et alternatim ipsi respondet, omniaque servat usque ad finem ultimæ orationis, prout tradidimus de officio subdiaconi, ubi tum brevitatis causâ, tum propter identitatem agendorum à diacono et subdiacono, utriusque rubricas retulimus; adeòque videantur ibi dicta.

III. Ad finem ultimæ orationis , sine genuflexione accedit diaconus ad dexteram celebrantis , ibique stat manibus junctis in secundo altaris gradu caput inclinans cum celebrante , et genuflectens cum eodem , si quædam in epistola exigant genuflexionem : in fine autem epistolæ voce mediâ respondet , *Deo gratias* ; quo dicto , perstat in cornu epistolæ , donec cantatâ epistolâ accedat subdiaconus , cui cedens locum recedit retrò post celebrantem , ibique post benedictionem subdiaconi , ab ipso vel alio , præviâ capitis inclinatione , accipit ambabus manibus librum evangeliorum ; quo accepto , iterùm exhibet ei , à quo librum accepit , novam capitis inclinationem.

IV. Diaconus , accepto libro evangeliorum , stans in cornu epistolæ dictum aperit librum , et inspicit utrùm signaculum evangelii cantandi sit debitè adaptatum ; tum claudit , ita ut dorsum libri versetur ad suâ dexteram ; tenens autem librum ambabus manibus per partes illius inferiores ante pectus erectum , proin non jacentem supra pectus ad normam subdiaconi , accedit per planum ad medium altaris , ubi celebrans facit confessionem , ibique supra infimum altaris gradum uno genu flectit : erectus ascendit ad altare , supra quod , scilicet ferè in ipsius medio , seu parùm versùs cornu epistolæ , ubi solet pertingere extremitates corporalis extensi , deponit librum , sic ut dorsum ipsius respiciat cornu epistolæ statimque post genu unius flexionem descendit per suam sinistram è gradibus altaris , et se transfert ad cornu evangelii , ubi

stat manibus junctis in secundo gradu altaris ad sinistram celebrantis.

Hic nota quòd, si evangelium esset breve, uti in missa votiva de Beata, diaconus tunc post recessum ab altari debeat immediatè flectere duobus genibus in secundo gradu, ubi profundè inclinato capite, dicit submissâ voce: *Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaïæ prophetæ calculo mundasti ignito, ita me tuâ gratâ miseratione dignare mundare, ut sanctum evangelium tuum dignè valeam nuntiare per Christum Dominum nostrum. Amen* (1).

V. Diaconus stans à sinistris celebrantis, circa finem evangelii, id est, dum supersunt quædam lineæ evangelii à celebrante legendæ, per suam dexteram accedit ad medium altaris, ubi utroque genu flexus in secundo altaris gradu recitat, ut suprâ dictum est, *munda cor meum*, etc., quo integrè dicto, se erigit et ascendit ad altare, præviâque genu unius flexione, duabus manibus accipit librum, quem tenens erectum ante pectus per suam sinistram discedit; genu autem utroque flexus in medio altaris supra superiorem altaris gradum, seu suppedaneum, capite inclinato, dicit voce intelligibili *jube, domne, benedicere*, non *Domine*, quia hominem alloquitur manensque inclinato capite benedicitur à celebrante, cujus in fine manum supra librum ap-

(1) Cùm Deus in Psal. 49. peccatori dicat: *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum*, congruè hoc exprobrio perterritus diaconus præsentem ad Deum habet orationem, ut magis ac magis mundetur, ad sanctè et fructuosè annuntiandum Christi evangelium.

positam osculatur, non simplici inclinatione capitis ad illam, sed tactu physico labiorum (1).

VI. Erectus diaconus post benedictionem, per suam sinistram descendit in planum, ubi convertit faciem ad altare per suam dextram, flectitque uno genu simul cum subdiacono et aliis ministris inferioribus, semper sustinens librum ante pectus et ab eo distantem (2). Tum transit ad locum, ubi solet evangelium cantari, ibique deponit librum supra pulpitem, vel in illius defectu, eundem apertum tradit subdiacono, sustinendum. Finito autem chori cantu, manibus junctis, facie versâ ad librum, ita ut habeat ad dextram cornu evangelii (3), altâ et sonorâ voce cantat *Dominus vobiscum*. Deindè proferens *initium*, vel *sequentia*, etc. et habens palmam manûs sinistrae supra librum, extremitate pollicis dexteræ apertæ, facit parvum crucis si-

(1) Sine legitima missione nefas est verbum Dei prædicare: *Quomodò*, inquit Apostolus ad Rom. cap. 10. v. 15., *verò prædicabunt nisi mittantur?* Porrò diaconus petens à sacerdote benedictionem, quærit ab eo suam missionem, eamque accipit sacerdotali benedictione.

(2) Diaconus non deflectit librum ad pectus, uti subdiaconus, sed ante pectus elevatum, ut omnes illum videntes et attendentes continere verbum Dei, ei in transitu debitam exhibeant reverentiam religiosè saltem stando. Hæc ratio olim magis militabat, quando evangelium cantabatur super oedeo, seu ambone, quod et nunc practicatur in nonnullis ecclesiis, ut evangelium facilius ab omnibus audiatur.

(3) Rubrica habet, *vadit ad locum evangelii contra altare versùs populum*. Quibus verbis videtur importari, quòd diaconus cantans evangelium, debeat terga vertere ad altare, et faciem ad populum, sed usus et auctores hunc locum valdè obscurum sic exponunt, nempè quòd diaconus sic stare debeat sub evangelio, ut habeat dextram ad altare, sinistram ad populum et faciem ad aquilonem.

gnum supra textum evangelii, id est, supra verba quæ immediatè sequuntur *in illo tempore*, quia hæc non sunt de textu. Si autem evangelium incipiat absque dictis verbis, ut in evangelio dominicæ quartæ adventûs: *Anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris*, tunc formetur signum crucis supra hæc citata verba. Ut autem debitè fiat hæc crucesignatio, debet pollex se moveri ab aliis extensis et sibi junctis. Prosequens autem *sancti evangelii secundum*, etc. positâ manu sinistrâ infra pectus, cum extremitate pollicis, manu ut suprâ dispositâ, facit unum crucis signum supra frontem, alterum supra os, et tertium supra pectus. Hic observa 1.º errare eos, qui simplicem lineam ducunt à fronte ad pectus, vel qui manu clausâ se signant. 2.º Os signare non debere, dum aliquid profertur; hoc autem evitabitur, si post signationem frontis sub his verbis *sancti evangelii* fiat modica pausa ad signandum os, et tertium formetur sub his verbis *secundum Joannem* vel N.

VII. Dicto *gloria tibi, Domine*, diaconus, manibus junctis, cantat evangelium, in quo, si proferatur nomen *Jesu*, facit inclinationem capitis maximam versùs librum; si *Mariæ*, capitis mediam, si *sancti*, cujus missa celebratur, vel fit specialis commemoratio, capitis minimam. Dum verò verba evangelii exigunt genuflectionem sine mora, flectit diaconus uno genu versùs librum. Finito evangelio, diaconus applicatâ libro palmâ sinistræ manûs, cum dextra inversa N. B. nihil dicens, indicat subdiacono initium evangelii. Quòd si initium sit in pagina præcedenti, ipse diaconus debet vertere folium ante indicationem.

Indicato evangelii initio, diaconus per suam dexteram paululum se retrahit, sinens coram se transire subdiaconum cum libro: facie autem directè versâ ad celebrantem expectat, manibus junctis, donec osculatus fuerit textum; post quod ipsi exhibet capitis inclinationem; et tum accedit ad medium altaris retrò post celebrantem absque genuflectione.

ARTICULUS III.

De symbolo usque ad canonem.

I. DUM celebrans intonat *Credo in unum Deum*, ad *Deum* diaconus facit cruci cum celebrante inclinationem capitis, post quam genuflectit, et erectus, ita lentè ascendit ad dextram celebrantis, ut simul accedat subdiaconus ad ejusdem sinistram: ibi stans prosequitur voce submissâ *Patrem omnipotentem*, etc. usque ad finem; ad *Iesum Christum* caput cum celebrante inclinat; genu uno flectit ad *et incarnatus est*, etc., inclinat iterùm caput sub *ly adoratur*, et se signat sub ultimis verbis *et vitam venturi sæculi. Amen.*

Dum celebrans inclinat caput pro descensu ab altari sub versu *qui propter nos*, etc., diaconus genuflectit; erectus descendit cum celebrante, flectitque cum eodem duobus genibus, et in eodem altaris gradu: sub *et incarnatus est* caput profundè inclinat usque ad *homo factus est* inclusivè.

Erigente se celebrante, simul se erigit diaconus. In accessu ad altare flectit uno genu, et, si calix non sit in altari, statim vadit ad locum,

ubi calix est paratus , ibique cum debitis inclinationibus capitis , id est antè et pòst , recipit ab acolytho bursam cum corporali incluso , quam tenens erectam per partes inferiores ante pectus , redit ad altare , flectens in ipso accessu , ad dextram celebrantis. Retractis autem paululum celebrante et subdiacono ad cornu evangelii , diaconus accedens versùs medium altaris , manu dextrâ extrahit è bursa , non verò ex ea labi sinit , corporale quod deponit in medium altaris ; tum bursam locat in cornu evangelii contra altare erectam , et deindè extendit corporale , exceptâ parte illius anteriore , quæ clausa manet usque ad offertorium.

Pro extensione debita corporalis notandum diligenter quod sequitur : extensâ unâ parte versùs cornu evangelii , et aliâ versùs cornu epistolæ , pars remanens superior extendi debet versùs altare ; hoc medio , hostia semper ponitur in eodem loco corporalis. Diaconus post extensionem corporalis se removet à medio altaris , et usque ad finem symboli stat , manibus junctis ad dextram celebrantis. Hic nota quòd diaconus , et subdiaconus debeant caput cruci inclinare , dum à choro cantatur *et in Jesum Christum*. Item sub verbo *adoratur*. In fine ad hæc verba *et vitam venturi* , celebrans deponit manus , et hæc depositio manuum est signum discessùs pro ministris ; quare flectit diaconus , et vadit post tergum celebrantis.

Si fiat sessio infra symbolum , observentur omnia , quæ part. 1. hujus tomi , art. III. n. IV. tradidimus de hymno angelico. Dum cantatur à choro *et incarnatus est* , etc. , detegunt omnes caput ,

et illud sedentes inclinant usque ad finem versiculi. Excipe missam annuntiationis B. M. V., tres missas nativitatis Domini, et auream, ubi cantatur, in quibus ad hæc verba *et incarnatus est*, etc. debent flectere duobus genibus celebrans et ministri: undè recitato privatim symbolo, expectabunt stantes in altari, donec chorus cantet *qui propter nos homines*, etc., tunc descendent, more solito, de altari, et flectent duobus genibus cum profunda capitis inclinatione. Erecti post *homo factus est*, ibunt ad sedes paratas: diaconus autem, jam sedente celebrante, deponet birretum suum supra scamnum, et exhibitâ celebranti capitis inclinatione, ibit ad credentiam quæsiturus bursam, quam deferet ad altare, extendetque corporale, et redibit; antequam autem se tegat, inclinet caput celebranti.

II. Dicto symbolo, vel si non sit dicendum, diaconus stans à tergo celebrantis, dum hic cantat *oremus*, inclinat caput cruci; deindè dicto *oremus* et erecto capite, genuflectit, et ascendit ad dextram celebrantis. Ibi constitutus, si calix sit in medio altaris, sinistrâ superpositâ, illum accipit manu dextrâ per nodum, et deponit super altare coram subdiacono; tum accipit duabus manibus velum per extremitates posteriores, illudque tradit acolytho deportandum ad credentiam, vel si desit aliquis, qui illud transportet, illud ter aut quater plicat, ita tamen ut sola pars exterior veli conspiciatur: velum jam sic plicatum deponit in parte posteriore altaris extra corporale; habens autem manum sinistram corpori admotam, dextrâ accipit pallam è calice, eamque ponit extra corporale, ita ut sit partim

supra velum elevata (si sit super altari), partim in mensa altaris quiescens; tum accipiens ambabus manibus patenam juxta ipsius circumferentiam, eam offert celebranti, sed antequam è manibus dimittat, eam osculatur, et deinde manum celebrantis, seu dorsum illius, et non digitos.

Postea de manibus subdiaconi sinistrâ accipit calicem per nodum, medium purificatorii pollice premens supra prædictum nodum calicis, ita ut una pars fluat supra pollicem, et duæ extremitates purificatorii tegant pedem calicis; sic autem tenens calicem supra altare, acceptâ vini ampullâ de manu subdiaconi, ex illa infundit vinum in calicem, in ea quantitate, quæ sumi possit haustu ordinario: redditâ ampullâ subdiacono, manum dexteram corpori applicat, donec subdiaconus aquam infuderit; post quod, accipiens dextrâ purificatorium in eo involvit indicem, et abstergit guttulas aquæ vel vini intra vel extra calicem dispertitas. Absterso calice, dimittit purificatorium supra altare, et tenens calicem dextrâ per cuppam, et sinistrâ per pedem, illum offert ab altari elevatum celebranti, eumque adhuc tenens utrâque manu; 1.º osculatur pedem calicis, et 2.º manum celebrantis; ut modò dictum est. Post dicta oscula, statim manu dextrâ apprehendit pedem calicis ad illum sustinendum, vel saltem eâdem manu sustentat brachium celebrantis, sinistrâ verò elevat posteriorem partem casulæ, et simul cum celebrante, submissâ voce dicit: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ pro nostra et to-*

tius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen (1).

III. Finitâ hâc oratione , dum celebrans demittit calicem , diaconus admovet manum sinistram corpori , et dextrâ accipit pallam , quâ , peracto signo crucis à celebrante , tegit calicem : tum accipiens purificatorium , eo abstergit patenam , quam deindè nudam , id est , sine purificatorio ponit in dexteram subdiaconi , ita ut pars concava ipsius patenæ respiciat corpus dicti subdiaconi , accipiensque extremitatem veli pendentem ad latus dextrum ejusdem , eâ tegit patenam ; quibus peractis , plicat purificatorium in duas partes æquales , et ponit illud juxta corporale , ubi solet esse patena ; sed sic ut extremitates purificatorii respiciant antependium altaris , et coincidant cum extremitate corporalis.

Si subdiaconus non esset indutus velo , nec consequenter ferret patenam (quod tamen foret contra intensionem missalis , in quo supponitur delatio patenæ in omni missa , quæ celebratur cum ministris) , tunc tecto calice , et reposito

(1) Hanc orationem cum celebrante facit diaconus , quia olim dispensatio calicis erat ei credita , quando scilicet communio sub utraque specie vigeat : quare , ut minister hujus dispensationis , ad illius oblationem concurrebat ; ideoque hæc oblatio concepta est in plurali *offerimus*. Equidem hæc ratio militat , ut diaconus jam desinat offerre calicem , ad offerendum cum celebrante hostiam , cujus dispensatio ei in ordinatione committitur. Sed cum hoc officium exercere tantum possit in casu necessitatis , et absente sacerdote , id est rarissimè , Ecclesia quæ agrè mutationem in sacra liturgia admittit , vestigiis antiquitatis præfert hic inhærere , præsertim cum præsens oratio optimè sonet in ore diaconi , vel etiam cujuslibet alterius sacrificio præsentis.

purificatorio, ut antè dictum est, supra partem patenæ, quæ non tegitur corporali; genu uno flectit, et transit ad locum suum retrò post celebrantem.

IV. Dum discedit celebrans ad lavandas manus, cum eo discedit diaconus, et cum eodem redit ad medium altaris post psalmum, in cujus fine sub *Gloria Patri* non inclinat caput cum celebrante. Constitutus in medio stat manibus junctis, et dicto à celebrante *orate, fratres*, absque ulla capitis inclinatione respondet: *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.* Hoc dicto, genuflectit, et ascendit ad sinistram celebrantis, cui quærit, et manu dextrâ inversâ indicat secretas. Infra conclusionem ultimæ orationis, requirit præfationem convenientem, et illâ celebranti indicatâ manu dextrâ ut suprâ, genuflectit, et se recipit ad locum suum retrò post celebrantem, ubi inclinat caput sub *nostro* post *gratias agamus* cum celebrante, pariter cum eodem in præfatione de Beata, caput inclinat sub verbo *Mariæ* versùs librum, et ad nomen *Jesu* versùs crucem. Circa finem præfationis ita tempestivè flectit, ut in fine illius sit constitutus in altari à dextris celebrantis, quocum quasi submissâ voce, corpore mediocriter inclinato, dicit *Sanctus*, etc. Se erigente celebrante, simul se erigit diaconus, et dicens *benedictus*, etc. se signat cum aliis.

ARTICULUS IV.

De canone usque ad finem orationis dominicæ.

I. DICTO *Sanctus*, etc. diaconus paululùm se vertit ad subdiaconum, cui indicato discessu parvâ capitis motione, genuflectit; et incedens post tergum celebrantis se transfert ad illius sinistram, ubi renovat genuflexionem, quod semper observatur, dum fit transitus ab uno latere celebrantis ad aliud; quippè non est flectendum in medio, sed in utroque termino, scilicet à quo et ad quem. Erectus à genuflexione diaconus hæret, manibus junctis, ad sinistram celebrantis, vertitque, quando opus est, folia convenientiùs sinistrâ, ne impediat celebrantem legentem, et consequenter dextra est interea corpori admovenda. Hic notandum quòd diaconus non debeat infra canonem caput inclinare cum celebrante: quia legitur submissâ voce.

II. Ad hæc verba *quam oblationem* genuflectit in suo loco, moxque erectus transit ad dexteram celebrantis, ubi supra scabellum prope altare flectit duobus genibus. Dum celebrans post consecrationem panis genuflectit, admotâ corpori dextrâ, sinistrâ elevat partem posteriorem casulæ per medium, quam nec antè nec post osculatur, Sacramentumque sub illius elevatione adorat inclinato capite.

Si esset vas cum panibus consecrandis, diaconus adveniens ad dexteram celebrantis ante genuflexionem illud detegeret, et dum celebrans incipit *qui pridè*, propiùs admooveret ad medium

altaris; vel si calix sit in medio, ad latus illius versùs cornu epistolæ, ut magis præsens sit materia consecranda celebranti; et tum flecteret, ut suprâ dictum est.

Quando celebrans, depositâ hostiâ, genuflectit, simul cum eo se erigit diaconus, et si sit vas cum hostiis consecratis, statim illud tegit, et reponit in locum, ubi erat ante consecrationem; tum dexterâ accipiens pallam è calice, eam deponit in mensam altaris extra corporale; post quod, duobus genibus flectit, ut infra consecrationem panis, et elevat casulam, ut suprâ dictum est. Dum celebrans demittit calicem post illius elevationem, surgit diaconus, et pallâ eum coöperit, factâque cum celebrante genu unius flexione, vadit ad illius sinistram, ubi renovatâ genuflexione stat manibus junctis, vertens folia, quando opus est. Se signat ad hæc verba *omni benedictione*, et tundit pectus ad hæc alia *nobis quoque peccatoribus*.

III. Cùm celebrans dicit *per quem hæc omnia*, uno genu flectit, et transit ad illius dexteram, ubi sublata pallâ è calice, eâque positâ super altari, et non antè, genuflectit cum celebrante. Erectus, infra crucesignationes, apponit extremitates digitorum manûs dexteræ supra pedem calicis, et sinistrâ elevat casulam juxta humerum dexterum celebrantis (1). Immediatè antequam ce-

(1) Olim quando casula totum corpus sacerdotis ad instar casæ ambiebat, necesse erat, ut ministri casulam elevent ad libertatem brachii celebrantis: hoc autem obsequium, quod primitùs swadebat necessitas, transiit in puram ceremoniam, cùm nihil aut parùm saltem eâ jam juvetur celebrans. Manum interea deponit diaconus in pedem calicis ratione naturali, nempè ad illius firmitatem.

lebrans dicat *omnis honor et gloria*, retrahit utramque manum, et appositâ corpori sinistrâ, tegit pallâ calicem, postquam tamen celebrans digitos extersit super illum; tum genuflectit cum celebrante, et vadit ad latus ipsius sinistrum, ubi renovat genuflexionem. Erectus, si necesse sit, quærit orationem dominicam, eamque indigitat celebranti; et dum hic incipit hæc verba *Pater noster*, genuflectit, et redit ad locum suum retrò post celebrantem; excipe, nisi sit vertendum folium infra orationem dominicam, tunc enim solum discederet verso folio. Circa finem orationis dominicæ, nempe ad hæc verba *et dimitte nobis*, genuflectit in suo loco, id est, in medio, et ascendit ad dexteram celebrantis absque iteratâ genuflexione.

ARTICULUS V.

A fine orationis dominicæ usque ad finem missæ.

I. **DIACONUS** à dextris celebrantis constitutus, dextrâ accipit de manu subdiaconi patenam, eamque statim immittit in suam sinistram, accipiensque dextrâ purificatorium, eo abstergit desuper altare patenam exterius et interiùs; tum reposito purificatorio juxta extremitatem corporalis, prout erat ab antè, super illud collocat patenam erectam, ita ut pars concava respiciat medium altaris; tenens autem eam, ambabus manibus hinc et indè extensis, osculatur primò patenam, et deindè manum celebrantis.

Si subdiaconus patenam fortè non tenuerit, diaconus accedens ad altare, eam tollit de suo loco, et omnia observat, ut suprâ dictum est.

II. Osculatis patenâ et manu celebrantis, diaconus se erigit, jungitque manus ante pectus, et se signat, dum celebrans facit signum crucis supra se cum patena: depositis autem manibus celebrantis supra pedem calicis, appositâ, more solito, sinistrâ corpori, dexterâ tollit pallam è calice, eamque deponit in altare, ac genuflectit unâ cum celebrante. Erectus stat manibus junctis; adeoque non tenet pedem calicis, nec elevat casulam (1). Post immissionem particulæ in calicem, depositis iterum manibus celebrantis in pedem calicis, illum pallâ coöperit; et postea flectit cum celebrante.

III. Erectus à genuflexione mox inclinât caput cum aliis; et dicit voce quasi submissâ, et manibus junctis ante pectus *agnus Dei, qui tollis peccata mundi, etc.* Sub his verbis *miserere nobis* tenens sinistram infra pectus corpori admotam, dexterâ extensâ, cum modica tamen illius incurvatione, tundit pectus, quam pectoris tusionem, manente sinistrâ constanter corpori applicatâ, reiterat dicens secundò *miserere nobis*, tertio *dona nobis pacem*.

IV. Post *agnus Dei*, diaconus manibus junctis, flectit duobus genibus ad dexteram celebrantis, donec celebrans se inclinât post primam orationem ad osculandum altare, tunc diaconus se erigit, et tenens manus junctas ante pectus extra altare, illud osculatur simul cum celebrante,

(1) Hic diaconus manum in pedem calicis non deponit, ne sub fractione hostiæ quædam particulæ evolantes cadant in ipsius brachium.

sed extra corporale. Erectus et ad celebrantem conversus, ei primò caput inclinat, et deindè genâ sinistrâ sinistræ celebrantis admotâ sine contactu physico, ipsum complectens utrâque manu infra brachia, recipit pacem his verbis *pax tecum*, cui diaconus voce paululùm elatâ respondet *et cum spiritu tuo*. Tum se retrahit, et manibus junctis, iterùm caput inclinat celebranti, moxque conversus ad altare genu uno flectit; et per suam sinistram discedens, viâ rectâ tendit ad subdiaconum. Constitutus coram eo, seu facie ad faciem, absque capitis inclinatione deponit utramque manum in ejus humeros, ita ut pars interior manuum tangat dictos subdiaconi humeros, et admovens genam sinistram sinistræ subdiaconi absque tactu physico earum, dicit voce quasi submissâ, seu mediâ, *pax tecum*. Deindè retrahens jungit manus, factâque subdiacono capitis inclinatione, conversus ad altare per suam dexteram genu uno flectit in medio, et ascendit ad sinistram celebrantis, ubi denuò non genuflectit.

V. Diaconus à sinistris celebrantis constitutus, stat manibus junctis usque ad finem tertiæ orationis, quâ finitâ, genuflectit cum celebrante. Erectus mediocriter corpus inclinat cum eodem; et dum celebrans dicit *Domine, non sum dignus*, appositâ manu sinistrâ corpori, ter pectus tundit dextrâ nihil dicens, hoc est quòd non proferat *Domine, non sum dignus*, etc. (1). His actis,

(1) Rubrica, quæ *agnus Dei*, à ministris dicenda præscribit, hic silet circa *Domine, non sum dignus*, undè infertur non esse à ministris proferenda: hujus nulla ratio dari potest, nisi hanc ultimam orationem esse in singulari conceptam;

mutat inclinationem mediocrem in profundam corporis, donec celebrans post sumptionem corporis Christi se erigat; se ergo erigente celebrante, simul se erigit diaconus, statque manibus junctis spiritualiter communicans. Quando celebrans flectit, idem facit diaconus, et dum celebrans incipit se signare cum sanguine, iterum profundè se inclinatur: et tantum se erigit sumpto sanguine, seu dum celebrans removet calicem ab ore ad accipiendam primam ablutionem.

Si distribuatur eucharistia, tecto calice, diaconus, dato signo discessus subdiacono, cum parva capitis versus eum inclinatione, descendit de altari per suam dexteram, flectit in medio, et ascendit ad dextram celebrantis, ut paret pyxidem; undè si pyxis sit supra altare, ad illud adveniens tollit operculum, quod collocat extra corporale: et factâ genuflexione, per suam dexteram se vertens descendit usque ad primum seu inferiorem altaris gradum, ubi per sinistram conversus ad subdiaconum, et profundè inclinat corpus, dicit altâ voce *Confiteor*, etc., percutiens pectus, more solito, ad *meâ culpâ*. Factâ confessione se sustinet inclinatam usque ad *indulgentiam* inclusivè, solus respondens nomine omnium *amen*, post *misereatur* et *indulgentiam*, et solus se signans sub benedictione celebrantis. Tum, si diaconus communicet, circulariter incedendo per gradus altaris, se sistit coram celebrante, et flectit in superiori gradu: dum autem

adeoque propriam soli celebranti, cum alia seu *agnus Dei* sit communis; non enim dicit celebrans *miserere mei*, sed *nobis*. Ideoque ministri hanc potius quam aliam faciunt.

celebrans dicit *ecce agnus Dei*, etc., *Domine, non sum dignus*, ministri illa verba non repetunt; diaconus tamen solus ter percutit pectus sub *Domine, non sum dignus*. Perceptâ communionem, diaconus à dextris celebrantis infra distributionem communionis, Sacramentum concomitatur (1). Redux ad altare flectit cum celebrante, et deindè pyxidem à se coöpertam reponit in tabernaculum, quod præviâ genuflexione obserat, tum discedens per suam sinistram, flectit in medio unâ cum subdiacono, et transit ad sinistram celebrantis.

Si non communicet, post *indulgentiam*, flectit in suo loco duobus genibus, et percusso ter pectore sub *Domine, non sum dignus*, se erigit, transitque ad planum capellæ ubi flectit uno genu, et constitutus ad dexteram celebrantis concomitatur Sacramentum, ut suprâ.


Si pro danda communionem extrahenda sit pyxis de tabernaculo, antequam diaconus faciat confessionem, stans à dextris celebrantis aperit tabernaculum; quo aperto statim genu uno flectit, erectus accipit pyxidem, quam collocat supra corporale et aperit, factâque iterùm genuflexione, descendit de altari, et, ut suprâ, facit confessionem et reliqua.

VI. Infra sumptionem secundæ ablutionis, diaconus claudit librum, sic ut dorsum respiciat cornu evangelii, illumque, prius dato signo discessûs cum inclinatione capitis versûs subdiaconum, defert clausum cum cussino, vel sine

(i) Ita *Merati, Dumoulin*, et alii: idque ad majorem ergâ SS. Sacramentum reverentiam.

cussino si duo super altare extent : transiens per medium flectit, et ubi pervenit ad cornu epistolæ, ibi deponit missale et aperit, indicatque extremitate manûs dexteræ inversæ celebranti antiphonâ, quæ dicitur *communio*, se absque genuflexione retrahit retrò post celebrantem. Recitatâ communionem, vadit ad medium simul cum celebrante, ubi non genuflectit, sed simpliciter caput inclinât, et post *Dominus vobiscum*, renovatâ capitis inclinatione, redit ad cornu epistolæ. Infra orationes caput inclinât, prout diximus de orationibus ante epistolam.

In quadragesima, extra dominicas, à feria quarta cinerum usque ad quartam hebdomadæ sanctæ in missa feriali post tertium *oremus*, diaconus se vertit ad populum per suam dexteram, id est, eodem modo, quo celebrans, se vertit ad *Dominus vobiscum*; sic conversus, seu habens tergum contra tergum celebrantis, manibus junctis, et oculis ad terram demissis, cantat absque capitis inclinatione, ut sequitur :



Humi li a te capita vestra De o.

Hoc cantato per eandem viam, seu per suam sinistram ad altare se revertit, ubi unâ cum subdiacono caput cruci inclinât ad finem orationis. Finitâ oratione, accedit cum celebrante ad medium altaris, ubi tantum cruci caput inclinât. Post *Dominus vobiscum*, si cantatus fuerit hymnus angelicus, flectit uno genu; erectus se convertit per suam dextram ad populum, ita ut

habeat faciem directè contra subdiaconum, et cantat *Ite, missa est*; si verò non fuerit cantatus hymnus angelicus, manens facie versâ ad altare absque ulla inclinatione, vel genuflexione cantat *benedicamus Domino* (1).

VII. Cantato *benedicamus Domino*, vel *ite, missa est*, diaconus absque prævia genuflexione se parùm de medio retrahit versùs cornu epistolæ simul accedens versùs altare, ubi flectit duobus genibus supra secundum altaris gradum, vel alium; benedicente autem celebrante populo, inclinatur profundè caput, et appositâ manu sinistrâ corpori infra pectus, se signat dexterâ nihil dicens. Post benedictionem erectus, se transfert ad cornu evangelii, ibique stans medius inter celebrantem et subdiaconum, seu à sinistris celebrantis respondet *et cum spiritu tuo. Gloria tibi, Domine*, et se signat cum eodem celebrante supra frontem, os et pectus, uti dictum est antè sub primo evangelio, inclinaturque caput ad nomen *Jesu, Mariæ*, etc., casu quo proferatur. Si legatur evangelium sancti Joannis, vel epiphaniæ, sub his verbis *et Verbum caro factum est. Et procidentes adoraverunt eum*, flectit unice genu.

(1) Remissio populi à primis Ecclesiæ sæculis fuit commissa diacono; ipsius quippe erat ante missam fidelium remittere catechumenos et peccatores, ut omnia testantur antiquitatis monumenta. Indeque ei fuit demandata secunda populi remissio, quæ fit in fine sacrificii per *ite, missa est*, vel *benedicamus Domino*; aut *requiescant in pace*. Hæc etiam à primis sæculis viguit in ecclesia Græca, prout testantur constitutiones apostolicæ, lib. 4., cap. 15., et liturgiæ SS. *Jacobi, Basilii*, atque *Chrysostomi*. In ecclesia verò Latina equidem non invenitur in Sacramentariis SS. *Gelasii* et *Gregorii*, sed ex *Avito* constat hanc remissionem viguisse circa annum 500.

Erectus, dicto *Deo gratias*, per gradus altaris sine genuflexione in medio, se sistit ad dextram celebrantis, ibique facta genuflexione, per suam sinistram se vertens descendit ex altari; cùm autem descenderit in planum capellæ, per dextram ad altare se convertit flectitque uno genu, etiamsi celebrans non flecteret. Erectus accipit birretum celebrantis, eique offert quasi cum osculo, deindè suum, quo statim se operit; tum manibus junctis ante pectus, redit ad sacristiam incedens immediatè post subdiaconum. In sacristia se constituit ante mensam à dextris celebrantis, appositæque manu sinistrâ corpori, dextrâ tollit de capite birretum; quod tenens præ manu dextra inclinat caput cruci, et deindè celebranti parùm ad eum conversus. Deposito birreto, antequam se exuat juvat celebrantem se exuentem: tum deponit suas vestes absque præcipitatione, debitè eas componens supra mensam. In depositione vestium hæc regula est servanda: primo loco deponenda est vestis, quæ ultimo fuit accepta, et sic de aliis.

Depositis vestibus, diaconus vacat aliquantulùm gratiarum actionibus, et recedit in pace.

Quomodò se gerere debeat diaconus, dum altare thurificatur, videndum est in tertia parte de officio sacerdotis. Quomodo, dum est expositum SS. Sacramentum, ibidem art. II. Quomodò tandem, dum adest presbyter assistens, ibidem art. V.

PARS TERTIA.

DE OFFICIO SACERDOTIS IN MISSA SOLEMNI, ET ALIIS
ADHUC SPECTANTIBUS AD MINISTROS.

In hac parte 1.^o agemus de officio celebrantis infra missam solemnem absque expositione SS. Sacramenti; 2.^o adjungemus rubricas spectantes ad missam solemnem exposito Sacramento, et missam de *requiem*, inter quas referemus eas, quæ concernunt ministros in his casibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De officio celebrantis infra missam solemnem absque expositione SS. Sacramenti.

CIRCA prolationem hæc veniunt in primis observanda: 1.^o Omnia quæ proferuntur secretâ voce in missa privata, eâdem sunt proferenda in missa qualibet cantata. 2.^o Sequentia cum cantu sunt intonanda *Gloria in excelsis Deo: Dominus vobiscum post hymnum angelicum: orationes ante epistolam: Credo in unum Deum: Dominus vobiscum post Credo: oremus ante offertorium: tota præfatio: oratio dominica per omnia sæcula, etc., pax Domini, etc.* ante immissionem particulæ in cali-

cem : orationes post communionem et *Dominus vobiscum*, ante et post dictas orationes ; reliqua autem , quæ in missa privata proferuntur clarâ voce , recitantur in solemnî , voce quasi submissâ , id est , tali quæ solùm audiatur à ministris : undè psalmus , *Judica* , et alia ab initio usque ad *oremus* inclusivè ante ascensum ad altare : introïtus , *kyrie* , hymnus angelicus , epistola , et ea quæ illam sequuntur : evangelium , symbolum , offertorium , *orate fratres* , *Sanctus* , *Nobis quoque peccatoribus* , *agnus Dei* , *Domine non sum dignus* , communio : hæc omnia , voce tantùm paullisper elatâ , recitari debent. Quoad benedictionem in fine missæ , danda est voce elatâ ; et eâdem legendum est ultimum evangelium , nisi fortè pulsetur organum , vel cantus habeatur in choro , quo supposito , voce etiam subaltâ hæc recitari debent.

His positis , in missa solemnî omnia peraguntur , ut in missa privata , de qua in primo tomo diximus , præter sequentia :

I. Celebrans , lotis manibus more solito , accedit ad paramenta , quibus induitur à ministris ; ne tamen videatur otiosus et indecorè immobilis , convenit ut se saltem pro parte , induat. Vestitus accipit birretum dexterâ , quod statim sinistrâ recipit (1) : tenens ergo birretum sinistrâ per partem inferiorem , sic ut pollex sit in parte concava illius , et alii digiti infrâ adhærentes parti illius exteriori , se parùm convertit ad

(1) Si detur mora inter indutionem celebrantis et illius egressum è sacristia , caput omnes coöperiunt usque ad impositionem thuris : ita *Merati*.

diaconum, à quo accipit cochlear per manubrium, terque thus de navicula projicit super prunas ardentes; primò in medium vasculi, et deindè à dextris et à sinistris ejusdem vasculi, quod semper est practicandum sub thuris injectione. Cochleari dimisso inter manus diaconi; formans dexterâ signum crucis supra thus cremans in thuribulo, benedicit illud his verbis *ab illo bene ✠ dicaris in cujus honore cremaberis.*

Hic observa quòd thus cremans in thuribulo, juxta regulam crucesignationis, medium tenere debeat signi crucis; adeòque manus signans est ita dirigenda, ut thus, vel quid aliud, signatum sit præcisè in medio crucis.

Quantùm ad ministros: stat interea subdiaconus à sinistris celebrantis immobilis; diaconus verò sequentia observat; deposito supra mensam birreto, paululùm per suam sinistram se vertit ad thuriferarium. Hic ergo stare debet retrò post celebrantem et diaconum, medius inter utrumque: idem situs ex parte thuriferarii est servandus in altari, dum thus imponitur ante introitum et etiam postea. Conversus, ut suprâ, diaconus dextrâ recipit naviculam, moxque sinistrâ manu eam apprehendit; tum extracto ex ea cochleari vacuo, antequam illud celebranti offerat, dicit parùm inclinatus ad celebrantem voce quasi submissâ, intelligibili tamen, *benedicite, pater reverende;* deindè tenens cochlear inter pollicem et indicem per manubrium prope vasculum ipsius cochlearis, primò osculatur extremitatem dicti manubrii et postea præsentat celebranti, cujus manum (non digitos) adhuc tenens cochlear, osculatur. Dimisso cochleari, sustinens utrâque manu naviculam aper-

tam, sinistrâ juxta pedem, dextrâ juxta vasculum, præsentat aperturam celebranti pro thure extrahendo. Thure ter immisso, recipit de manu celebrantis cochlear, quod tenens per manubrium inter pollicem et indicem dexteræ, osculatur primò dorsum manûs celebrantis adhuc retinentis cochlear; tum dimisso à celebrante cochleari, osculatur extremitatem manubrii illius (*Regula hæc est generalis, quòd in oblatione instrumentorum priùs instrumenta sint osculanda, deindè manus celebrantis; in eorum verò receptione, priùs manus est osculanda, et deindè instrumenta*) (1). Receptum cochlear diaconus reponit in naviculam, quam reddit thuriferario.

II. Thure imposito, diaconus accipit birretum, illudque tenet ante pectus ambabus manibus, per partem inferiorem, sic ut pollices sint in modum crucis in parte concava illius, et manus infra jungantur; eodemque modo illud sustinere debent celebrans et subdiaconus: porrò omnes, capite discoöperto, exhibent simul cruci inclinationem profundam capitis, post quam statim capita birreto tegunt. Capite tecto et junctis manibus, se invicem salutant parvâ capitis inclinatione, ut sequitur: 1.º Celebrans conversus ad diaconum, ipsum salutatur, et vicissim diaconus conversus ad celebrantem; 2.º celebrans conversus ad subdiaconum idem facit, prout et subdiaconus.

Post hæc præcedentibus acolythis cum cereis accensis, et thuriferario cum thuribulo fumi-

(1) Oscula ex parte diaconi, dum aliquid tradit celebranti, et quando aliquid ab eo recipit, sunt actus urbanitatis, et signa venerationis erga eum, quâ Christi ministrum.

gante (1), celebrans et ministri è sacristia discedunt: celebrans ultimus incedit, seu post dia-

(1) Thus est species gummi odoriferi. Vocatur etiam incensum ab effectu, eò quòd incendatur, ut in fumum abeat. Tribus vicibus injicitur ut quantitas sufficiens in vasculo thuribuli habeatur. Primâ vice injicitur in medium vasculi, et aliis duabus hinc et inde à dextris et à sinistris, ut facilius et citius cremetur et fumiget. Benedicatur deindè, non tantùm verbis suprâ citatis, sed et signo crucis, quo indicatur causa meritoria omnis benedictionis. *Ætate Joannis Beletii*, id est, sæculo XII et XIII, thus non benedicebatur, nisi quando erat destinatum ad incensationem altaris, insuper et ministrorum, seu populi. Hanc praxim retinuit usus ecclesiæ Leodiensis, juxta quem solùm thus benedicitur ad offertorium ubi præter altare ministri et chorus incensantur. Idem juxta *Devert* habet ritus Dominicanorum. Hujusque vestigium retinimus, dum thus imponitur ad incensandum SS. Sacramentum, et nihil præterea. Præcedunt sacerdotem et ministros ad altare procedentes acolythi cum lumine, et thuriferarius cum incenso cremante. *Claudius Devert*, T. 3. cap. 4. rub. 65. tenet lumen olim adhibitum fuisse necessitatis causâ, nempe ob tenebras antrorum, in quibus primis Ecclesiæ sæculis sacra fiebant mysteria, et inde lumen hodiedum adhiberi. Idemque autumat *Gavantus*, p. 1. tit. 20. His accedit catechismus Montispezzulani, tom. 4 p. 5. v. 5. Quoad incensum, citatus *Devert* ait adhiberi ad fœtorem expellendum, qui faciliè nascitur ob multitudinem fidelium, qui Sacro solemniter adesse solent, et pro se adducit cardinalem *Bellarminum*, *Genebrardum*, *Meurier*, et varia missalia antiqua, inter quæ missale *S. Dionisii* in Galliis sic habet: *Hoc incensum ad omnem fœtorem nocivum extinguendum Dominus benedicat, et in odorem suavitatis accendat.* Sed quidquid sit de his rationibus, de quibus dicemus tom. 4., de sensu cær. miss. cap. 1. art. 4. et 5. certum est has cæremonias exerceri etiam ob rationes altiores, cùm committantur personis speciali ordine ad illas consecratis, quæ et illas exercent sacris vestibus indutæ. Lumen igitur et thus 1.^o deferuntur in accessu ad altare ad inspirandam adstantibus nobilem ideam actionis sacrificii. 2.^o Lumen portatur ad excitandam spiritualem lætitiã in cordibus ministrorum altaris et fidelium. 3.^o Thus accensum et fumans iisdem prædicat dispositionem necessariã, ut oblatio

conum, capite tecto, manibus junctis, oculis ad terram demissis et gravi passu (multi gratis in discessu dicunt *oremus pro invicem*, vel *procedamus in pace*; de his enim omninò silet rubrica). Si transeat ante aliquod altare, observat ea, quæ tradita sunt in officio subdiaconi art. II. Cùm pervenerit ad altare, in quo missa est celebranda, conversus ad illud, dexterâ tollit de capite birretum admovens sinistram corpori, illudque tradit diacono, expectatque, N. B. donec ministri fuerint detecti, et tria birreta fuerint deposita in manus acolythi, tunc solummodò incipit exhibere suam reverentiam per genuflexionem, vel inclinationem secundùm loci exigentiam. Erectus omnia observat, uti in missa privata, usque ad incensationem: excipe, quòd ad hæc verba confessionis *vobis fratres*, et *vos fratres*, paululum se convertat ad diaconum, et deindè ad subdiaconum, quod et facit, dicens *misereatur vestri*, etc. absque pedum motione, et sine ulla capitis inclinatione.

III. Ingressus ad altare, et post illius osculum sub his verbis *quorum reliquiæ hæc sunt*, erectus imponit, ut suprâ traditum est num. I., incensum, illud benedicens hæc formulâ *ab illo benedicaris*, etc. His peractis, recipit thuribulum de manibus diaconi; qui tenens illius annulum superiorem exteriùs inter pollicem et indicem manûs dexteræ; et sinistrâ omnes catenulas juxta vasculum, illud offert celebranti, osculans primò

sacrificii ex parte ipsorum ascendat ad Deum in odorem suavitatis: thus enim quod in fumum odoriferum non abit, nisi igne cremetur, designat orationes nostras Deo placere non posse, nisi ex corde igne charitatis inflammato procedant.

catenularum extremitatem superiorem, et postea dorsum dexteræ celebrantis, qui recipiens thuribulum immittit pollicem sinistram in anulum superiorem, et dexterâ firmiter apprehendit omnes catenulas prope vasculum; et ne moveantur, nonnulli eas comprimunt inter parvum digitum et annularem.

Si in altari sit tantum crux, accepto thuribulo, recedit uno, vel altero passu ab altari; recedunt pariter et ministri, hique descendunt è primo altaris gradu, et facie versâ ad altare, diaconus manu sinistrâ elevat casulæ extremitatem, dextrâ corpori admotâ, subdiaconus verò dextrâ, sinistram corpori applicans. His ita dispositis, et non antè, celebrans habens manum sinistram corpori applicatam, et ita ut summitas catenularum thuribuli versetur supra dorsum ejusdem manûs sinistræ, facit profundam capitis inclinationem cruci, flectentibus ministris in suis respectivè locis. Erectus ter incensat crucem absque ulla thuribuli deflexione, vel ad dexteram, vel ad sinistram crucis sub secundo et tertio ductu thuribuli, et ponendo morulam inter quemlibet jactum.

Nota hic diligenter hoc rubricæ verbum *ter*; proin non sexties, ut sat communiter practicatur; et sic ad perficiendam trinam crucis incensationem, quilibet jactus thuribuli debet esse simplex, seu nec minimè duplicatus.

Ter cruce incensatâ, iterum celebrans profundè caput inclinât, simulque ministri flectunt uno genu.

Si in altari sit tabernaculum clausum, actualiter continens corpus Christi, vel in eo paten-

ter exposita reliquia SS. crucis, celebrans stans (1) ut suprâ, in scabello altaris, crucem seu illius reliquiam, si sit exposita, incensat, sed præviè, accepto thuribulo ponit extremitatem manûs sinistrae supra altare, et flectit uno genu, sustinens dexterâ catenulas prope vasculum, et cavens ne dictum vasculum tangat antependium altaris; proindeque dextra poni non debet in altare: dum autem flectit celebrans, absteineat ab omni capitis inclinatione. Hic modus est constanter retinendus infra incensationem, quotiescumque genuflectendum est in altaris medio. Ministri flectunt à lateribus celebrantis, et erecti se constituunt retrò post celebrantem, elevantes casulam (2), ut suprâ. Hic nota quòd incensatio non dirigatur ad Christum tabernaculo inclusum, sed ad crucem; quæ magis patens est in altari.

Deinceps jam supponemus in altari tantùm crucem adesse, monendo celebrantem, quòd in casu tabernaculi continentis actualiter corpus Christi, vel expositæ reliquiæ SS. crucis, inclinationes in medio altaris esse convertendas in flexiones unius genu.

Post crucis incensationem, et capitis inclinationem eidem factam, si in altari adsint sanctorum reliquiæ, putà ossa, cineres, vel eorundem, aut angelorum imagines, seu statuæ, se

(1) Reliquia SS. crucis non est incensanda à celebrante genuflexo S. R. C. 15. Sept. 1778.

(2) Ad facilitandam celebrantis actionem; equidem resecatibus jam lateralibus casulæ partibus, indè parùm vel nihil juvatur celebrans. Sed olim, quando casulæ ampliores erant, hoc obsequium erat celebranti necessarium, indeque viget usus casulam elevandi; dum brachiis agit celebrans.

convertit ad cornu evangelii versùs reliquias, et absque capitis inclinatione ad illas, nec ante, nec post thurificationem, bis eas incensat, ut num. 4. et 5, ponendo morulam inter unum et alterum thuribuli jactum, qui debet esse sub qualibet vice simplex, seu non duplicatus, ut suprà monuimus, et dirigendo thuribulum ad idem altaris punctum; quamvis in una altaris parte forent plures reliquix dispertitæ. Tum factâ iterùm capitis inclinatione cruci, eodem modo incensat reliquias in cornu epistolæ expositas, ut num. 6. et 7. Quòd si tantùm forent reliquix in una, et non in altera parte altaris, prætereunda esset incensatio partis, ubi deessent (1).

Dictum est suprà, si in altari sint reliquix, esse incensandas: quia si sint extra altaris structuram, non ipsis deberetur thurificatio.

Incensatis reliquiis in cornu epistolæ, absque nova capitis inclinatione ad crucem, pergît incensare altare: vel si non sint in altari reliquix, post incensationem crucis, et inclinationem capitis ad illam, se vertens ad cornu epistolæ ter incensat altare, dirigens jactus thuribuli, prout distribuuntur candelabra. Tria enim supponuntur hinc et indè in altari à rubrica: nihilominus tamen si pauciora forent, ter incensanda foret utraque pars altaris, ut notatur n. 8, 9, 10, 16, 17 et 18. Imò, si sint in quavis parte tria candelabra sed non in æquali distantia, ducendum est thuribulum ter in utraque parte, ut notatur

(7) Notandum sanctorum reliquias non esse collocandas super altari, in quo reipsà SS. Sacramentum publicæ venerationi est expositum. S. R. C. 2. Sept. 1741 in Aquen. Quare, si per abusum expositæ sint, videntur prætereundæ.

numeris suprà positis, absque ullo respectu ad dispositionem candelaborum.

Hic diligenter est advertendum, quòd non incensentur candelabra, vel structura superior altaris, sed pars posterior ipsius mensæ, quæ mappis est coöperta: undè contra praxim, thuribulum non debet projici in altum, sed prope ipsius altaris superficiem duci debet, ita ut pars inferior vasculi aliquibus tantùm digitis distet à mappa superiore.

Post incensationem n. 10, celebrans cùm ad cornu epistolæ pervenerit, ibi paululùm se inclinat, et demissâ manu dextrâ cum thuribulo, primò incensat inferiùs partem altaris lateralem, ut n. 11, dein eandem partem superiùs, ut n. 12; tum faciem convertens quasi ad medium altaris, ter incensat anteriorem altaris planitiem versùs antependium, ut n. 13, 14 et 15. Debet autem sub his quinque incensationibus duci thuribulum à dextris in sinistram, et lineâ obliquâ, seu in modum semicirculi, ponendo semper morulam aliquam inter quemlibet thuribuli ductum; quod in omni thurificatione est observandum.

Peractâ incensatione n. 15, celebrans in medio altaris inclinat caput cruci, et eodem modo incensat altare in cornu evangelii, cum hoc solo discrimine, quòd sub n. 19, 20, 21, 22 et 23 moveri debeat thuribulum à sinistra in dextram, uti in tabula delineatur. Post ductum thuribuli 23, celebrans habens faciem conversam ad angulum altaris anteriorem in cornu evangelii, et pedem sinistram dextro proximiorum altari, demittit manum dexteram, et rectâ lineâ incensat

partem anteriorem altaris, ut notatur n. 24, tum juxta cæremoniale infrà citandum, retracto primò pede sinistro, et deindè dextro, secundâ vice incensat, ut n. 25, et idem servans tertiam perficit incensationem, ut n. 26. Transiens ante medium altaris, conversus ad crucem ei caput inclinât, et facie versâ ad cornu epistolæ, tenens pedem dextrum retrò post sinistram, ter incensat aliam partem altaris, ut notatur n. 27, 28, 29.

Infra incensationem ministri elevantes casulam passu uniformi incedunt cum celebrante, et quotiescumque hic caput inclinât, vel genuflectit ratione tabernaculi, toties genuflectunt.

Post incensationem celebrans utrâque manu reponit thuribulum inter manus diaconi, qui primò osculatur manum celebrantis, et deindè catenulas juxta earum summitatem: celebrans autem constitutus intrâ altare, habens sinistram directè contra cornu epistolæ, ter incensatur à diacono stante ex adverso celebrantis extra gradus altaris. Ante et post incensationem, diaconus caput inclinât parùm celebranti, qui ipsum diaconum nullatenùs resalutat; quod semper servatur quando officians intrâ vel extra missam incensatur. Interea subdiaconus stat à dextris diaconi paulò conversus ad celebrantem, cui caput non inclinât simul cum diacono (1).

(1) Celebrans primò incensat crucem, utpotè objectum magis principale, cui jus thuris debetur, potiùs autem crux incensatur, quàm SS. Sacramentum licèt in tabernaculo reconditum: quia magis sensibilibiter apparet. Attamen exposito SS. Sacramento, neglectâ cruce, thurificatio ad illud dirigitur: quia figuratum figuræ prævalet. 2.º Incensantur reliquiæ, si dentur in altari, seu statuæ sanctorum, tum honoris

Si sit tabernaculum clausum in altari continens corpus Christi, vel exposita reliquia SS. crucis, in eodem loco, eodemque modo incensatur celebrans à diacono, ac si crux tantum adesset.

Pro benedicendo thure, obiter sequens regula hinc statui potest: quando thus imponitur

causâ, tum ad significandum illos Christi bonum odorem fuisse in diebus suis; tum maximè ad inducendos eos, ut sacrificium et preces nostras deducant ad thronum Dei; sic ut illa acceptet velut thymiama suavissimi odoris. 3.º Incensatur totum altare, ut juxta *Durandum*, lib. 4. cap. 10. n. 5. dæmon fugetur ab eo, qui fumo piscis *Tob. 6.* fuit olim à *Sara* fugatus. Sed etiam addi debet altare thurificari ad honorandum hoc venerabile monumentum Christum repræsentans, continens sanctorum reliquias, unctione Chrismatis Deo sacratum, et super quo singulis diebus immolatur Christus ac sanguis illius funditur. Rem autem spiritualiter considerando, incensum quod altari datur, juxta *Lebrun*, tom. 2. pag. 3. art. 7. tit. de incensatione sacerdotis et assistentium, symbolum est divinarum gratiarum, quæ nobis ex altari profluunt. Tandem thuris honor conceditur celebranti, quâ legato Omnipotentis, sed sub illo monetur, ut se in servitio Dei consumat, uti thus prunis ardentibus thuribuli, necnon ut odore bono omnium virtutum fideles repleat, uti incensum præstat respectu olfactûs, quem gratè afficit. Carthusiani semel tantum crucem incensant, bis Cistercienses, Romanæ verò liturgiæ addicti ter; idque juxta *Claudium Devert*: quia aliqui non modò incensabant medium crucis, seu corpus Christi in ea pendentis, sed hinc et indè brachia ejus; sed cum id repugnet rubricæ, illi non potuit dare occasionem, nisi ritus ille supponatur institutionem rubricæ præcessisse. Verius ergo dicitur numerum illum fuisse determinatum, ad ponendam distinctionem honoris inter Christum et sanctos, quorum ideò reliquiæ tantum bis thurificantur. Pari ratione celebrans ter incensatur, et ministri, seu diaconus et subdiaconus bis tantum. Celebrans ante et post sui incensationem suâ superioritate et dignitate impeditus non resalntat diaconum, sicque constanter sub cursu sacrificii se gerit cum eodem et aliis ministris se ad eum inclinantibus.

ad incensandum solùm Sacramentum, numquam benedicitur, sive in missa, sive in officio. Dum verò injicitur ad thurificandum aliquid distinctum à SS. Sacramento, licèt SS. Sacramentum simul, et quidem primò incensetur, signari semper debet sub hac formula *ab illo bene & dicaris in cuius honore cremaberis. Amen.*

Excipe tamen thus impositum ad incensationem oblatorum, quod benedicitur aliis verbis modò assignandis.

Diligenter etiam notanda sunt verba sequentia ex cæremoniali episcoporum deprompta: *Advertat, inquit, celebrans, ut se in ea, nempe thurificatione, graviter et decorè gerat; non personam aut caput, dum thuribulum ducit, reducitque, movens.... et dum procedit thurificando altare, eundo et redeundo semper illum pedem priùs moveat, qui proximior est altari, totque omninò passus faciat, quot thuribuli jactus, ut manus pedesque in motu decenter concordent.*

III. Finità incensatione, celebrans legit introitum, stantibus ministris in cornu epistolæ: post introitum dicit *kyrie* in eodem cornu. Si legendæ sint prophetiæ et cantandum sit *flectamus genua*, sub his ultimis verbis, dum adest diaconus qui illa cantet, non flectit celebrans, sed cantato *oremus*, stat manibus junctis versùs missale, dum à ministris dicitur *flectamus genua*, et *levate*: si verò celebrans solus missam cantet; dicto *oremus*, ac depositis in altare manibus, flectit uno genu (1); choro autem cantante *levate*, se erigit, et manibus extensis, absolvit orationem.

(1) *Alcozer* vim facièns in hæc verba numero plurali concepta *flectamus genua*, tenet non unum, sed utrumque genu

Si non sint legendæ prophetiæ, dum ultimum *kyrie* à choro cantatur, transit ad medium altaris sic dirigens gressum, ut ad illud perveniat, finiente cantu ultimi *kyrie*, et tunc absque prævia capitulis inclinatione (quæ tamen præstanda foret cruci, si mora poneretur inter accessum ad altaris medium et intonationem hymni), habens manus junctas incipit cantare (si tamen cantari debeat) *Gloria*, sub quo verbo aperit manus, eas parùm extollens, *in excelsis* eas dimittit et jungit; dicens autem *Deo*, caput cruci inclinat, et cum ministris voce quasi submissâ recitat reliquum hymni. Quo finito, quiescit manibus junctis ante pectus, piâ mente revolvens ea quæ à choro cantantur. Dum canitur à choro *adoramus te, gratias agimus tibi*, et alia quæ exigunt salutationem capitis, caput profundè inclinat crucifixo, unâ cum ministris. Ad hæc verba *cum Sancto Spiritu*, etc. hinc et indè manus deponit in altare in signum accessûs ministrorum.

Si fiat sessio infra hymnum, vide dicta de officio subdiaconi, part. 1 hujus tomi, art. III.

IV. Cantato hymno, vel si non cantetur, post ultimum *kyrie* redux ad medium osculatur altare, et cantat *Dominus vobiscum*, et orationem, vel orationes, ut moris est. Post ultimam orationem

sacerdotem teneri flectere; verùm *Gavantus, Merati, Jansens*, quamvis teneant diaconum et subdiaconum debere subcitis verbis flectere duobus genibus, ad unius tantùm flexionem obligant sacerdotem. His accedunt *Tornelius, Bauldry, Bissus, Gervasi* et alii passim. Quantùm ad fundamentum *Alcozer* contrarium sustinentis, facile est illud evertere: quia hæc verba *flectamus genua* non referuntur ad solum celebrantem, sed ad omnes præsentem; adeoque satis verificantur in plurali per genuflexionem singulorum.

voce quasi submissâ, seu mediâ legit epistolam (1) omnia observans, ut in missa privata. Quamdiu autem celebrans legit, non attendit ad ea, quæ proferuntur à subdiacono epistolam cantante; proindèque ad nomen *Jesu*, etc., ab ipso prolatum, non inclinât caput: similiter nec diaconus tunc occupatus circa servitium ipsius celebrantis; verùm lectis à celebrante epistolâ et aliis sequentibus, si subdiaconus aliquid proferat, exigens capitis inclinationem, debet illam exhibere cruci sub nomine *Jesu*, et versùs librum ad nomen *Mariæ*, vel Sancti cujus missa celebratur aut fit specialis commemoratio. Idem dic de diacono. Si absolverit legere, antequam subdiaconus cantet in missa crucis, et dominicæ palma-

(1) Antiquitùs celebrans non legebat, nec epistolam, nec evangelium, sed illa audiebat à ministris cantata, et reverà videtur hoc satis esse ex natura rei; sed difficultas illa audiendi cùm cantarentur in ambone, seu in loco à celebrante dissito, induxit nonnullos ad illa legenda, quod tandem transiit in rubricam. Consuetudines Cisterciensium Parisiis impressæ 1641 habent sacerdotem posse illa legere. Idem habent ordinarium Guillelmitarum anni 1279, missale Dominicanorum 1284 et Carmelitarum 1514. Hæc rubrica, ut attendenti patet, erat tunc directiva tantùm. In missali Romano Romæ primâ vice impresso 1485 præscribitur, ut subdiaconus, cantatâ epistolâ, missale apertum episcopo præsentet, ut in eo legat epistolam, graduale, et evangelium, et in missali *Pii V* Romanæ editionis 1570 expressè statuitur, ut sacerdos cum ministris legat epistolam voce submissâ, id est, quæ audiatur à diacono, et non ab aliis. Idem postea fuit confirmatum in missalibus omnibus posterioribus. Episcopi epistolam et evangelium legunt sedentes in cornu epistolæ, pariter et Carthusiani, Dominicani, et alii quidam, quod et verosimiliter practicârunt olim sequentes usum Romanum; ast jam consuetudine generali hæc leguntur uti in missa privata, id est, epistola in cornu sinistro, et evangelium in cornu dextro altaris.

rum ut in nomine Jesu omne genu flectatur, accedit ad medium altaris, accedit simul et diaconus se sistens ad sinistram celebrantis; hic inclinat caput cruci, ille flectit, recedentes autem flectunt duobus genibus supra gradum superiorem usque ad inferiorem inclusivè. In hoc recessu ab altari celebrans se vertit per suam sinistram ad diaconum. Erecti ascendunt ad medium altaris, ubi celebrans iterùm cruci inclinat caput, et flectit diaconus; deindè redeunt ad cornu epistolæ. Poterit celebrans hanc cæremoniam declinare protractè legendo epistolam. Pariter in die cinerum, et aliis diebus, quibus post epistolam cantatur versus *adjuva nos*, etc., sub cantu illius flectit ut suprâ in medio ministrorum.

V. Lectâ epistolâ, manet in cornu epistolæ, junctis manibus, donec accedat subdiaconus, ad quem tunc se convertit, et appositâ corpori sinistrâ, deponit dexteram supra librum à subdiacono osculandam. Post osculum, facit dextrâ signum crucis in subdiaconum, nihil dicens. Tum redit ad medium altaris, dicit *munda cor meum*, etc., ac legit voce mediâ evangelium, cujus textum non osculatur in fine.

Absoluto evangelio, accedit ad medium altaris, et caput cruci inclinat; invitatus à diacono his verbis *jube, domne, benedicere*, si aliquam in medio moram fecerit, renovatâ capitis inclinatione, se ad eum convertit per suam dextram, se retrahens paululùm versùs cornu evangelii; facie versâ ad diaconum, et manibus junctis, dicit voce intelligibili: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut dignè et competenter annunties evangelium suum*. Hic admotâ ad corpus manu sini-

strâ, dextrâ facit signum crucis in diaconum, dicens *in nomine Patris, et Filii, sub prima linea et Spiritus Sancti, amen*, sub secunda, seu transversa (1). Tum manente sinistrâ corpori admotâ, ponit manum dextram supra librum à diacono osculandam. Post hæc, se convertit ad medium altaris, caput cruci inclinât, et statim transit ad cornu epistolæ. Dum diaconus cantat *Dominus vobiscum*, se vertit, ita ut habeat faciem contra librum evangelii, sicque stat manibus junctis, et oculis ad terram continuò demissis usque ad finem evangelii. Quando diaconus cantat *initium*, vel *sequentia*, etc., se signat supra frontem, os et pectus, absque eo quòd se convertat ad medium altaris. Dum profertur infra evangelium nomen *Jesu*, parùm conversus ad crucem profundè ei caput demittit; ad nomen *Mariæ*, vel *Sancti* cujus missa celebratur, aut fit specialis commemoratio, caput inclinât versùs librum. Si sit genuflectendum, ut infra evangelium tertiæ missæ in festo Nativitatis Domini et Epiphaniæ, celebrans conversus ad altare, depositis manibus supra illud in cornu epistolæ, flectit unico genu. Erectus resumit statum pristinum usque ad finem evangelii, cujus initium osculatur tenens ambabus manibus missale à subdiacono sibi oblatum, et interea secretò dicens *per evangelica*

(1) *Janssens* et *Cavalieri* tenent *amen* in fine benedictionis non esse proferendum à sacerdote, sed à diacono: verùm cum in missali *amen* illud jungatur verbis præcedentibus sine littera R, quæ ordinariè apponitur, dum aliquid est dicendum à ministro; ideo putamus tutiùs esse standum dispositioni rubricæ; adeoque *amen* esse à sacerdote proferendum.



dicta, etc. (1). Factâ autem sibi à diaconò capitis inclinatione, absque resalutatione vel minima, redit ad medium altaris.

Quando fit thurificatio, celebrans lecto evangelio, accedit ad medium, caput cruci inclinât, imponitque thus et benedicit, uti dictum est in hoc art. n. I.: pariter diaconus, lecto à celebrante evangelio, accedit ad illius dexteram, ubi præviâ genuflexione thus ministrat, uti ibidem relatam est. Imposito thure, et renovatâ genuflexione, recitat more solito *munda cor meum*, etc.; nota igitur hîc benè, quòd diaconus prædictam recitare debeat orationem post thuris impositionem, et non ante.

Dicto *munda cor meum*, diaconus surgit, accipit librum, petit benedictionem et præcedentibus luminibus ac thuribulo fumigante, more

(1) Celebrans solùm, cantato à diacono evangelio, librum osculatur et dicit: *per evangelica dicta deleantur nostra delicta*. Ratio hujus est quòd legerit evangelium voce quasi submissâ pro se; diaconus verò cantaverit pro populo, cùm autem oratio præfata sit communis, congruit, ut solummodò fundatur, perceptâ à populo evangelii instructione. In primo ordine Romano præscribitur osculum libri evangeliorum non tantùm celebranti, sed et clero. Hic ritus in multis hodie viget ecclesiis. Parisiis subdiaconus, præcedente thuriferario, defert librum osculandum ab omni clero, dicens singulis: *Hæc sunt verba sancta*, cui respondent singulatim *credo et confiteor*. Idem practicatur juxta usum Leodiensem, sed absque præfatis verbis. Aquisgrani defertur liber apertus: et osculandus offertur textus sacer: exceptis tamen diebus solemnibus, quibus loco libri evangeliorum, exhibetur novum testamentum, cujus pars exterior tantùm datur osculanda. Hic liber habet magnitudinem unius missalis; est manuscriptus à mille ferè annis; litteræ capitalis illius sunt aureæ. Ille tandem est, quo utebatur *Carolus Magnus*.

ordinario, procedit ad locum, ubi evangelium cantari solet. Ut cantavit *initium* vel *sequentia secundum N.*, se parùm vertens per suam dexteram, accipit thuribulum, ut sequitur: imprimis immisso pollice sinistro in anulum illius superiorem, sinit spontè thuribulum pendere; tum manu dexterâ apprehendit omnes catenulas prope vasculum, easque ita firmè comprimit, ut vasculum sub incensatione non incurvetur: hoc medio thuribulum semper rectum accipietur et manebit. Sic igitur tenens thuribulum se vertit ad librum, et tribus thuribuli jactibus, quorum quivis sit simplex, nec minimè duplicatus, eum incensat semel in medio, semel versùs libri dexteram, et semel versùs illius sinistram: præstatque libro capitis reverentiam ante et post illius thurificationem.

Post finem evangelii, et illius osculum ex parte celebrantis, hunc ter incensat non deflectens thuribulum, vel ad dextram, vel ad sinistram sub secunda et tertia thurificatione; pariterque ante et post illas, præstat inclinationem capitis celebranti, qui diaconum non resalutat (1).

(1) Summatim rationes cæremoniarum solemnium, quibuscum cantatur evangelium, sunt sequentes: liber ad locum evangelii defertur magno cum honore, id est, cum lumine et thure fumigante: idque in venerationem sacri textûs, cui idem cultus, ac cruci, debetur. *S. Chrysostomus* et *Isidorus* lumen, quod hic adhibetur, habent tanquam signum lætitiæ, quâ affici debent fideles devotè evangelium audientes; nonnulli verò sub typo luminis Christum apprehendunt figuratum, qui lux est *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, necnon eundem sub typo thuris, quatenus verbo suo bonum odorem et gaudium spirituale in mundum sparsit. Diaconus evangelium cantaturus ter incensat

Subdiaconus, post lectionem evangelii, dicto *laus tibi, Christe*, ascendit ad altare, librum tollit, et deponit in eodem cornu evangelii juxta corporale; moxque factâ genuflexione, descendit in planem capellæ, ubi facie versâ ad altare ex adverso cornu evangelii, expectat discessum diaconi.

VI. Post suâ incensationem, celebrans redit ad medium altaris; et si cantandum sit *Credo*, absque inclinatione capitis in accessu ad medium, habens manus junctas, et non depositas super altare, intonat *Credo*, sub hoc primo verbo manus adaperiens, et paululùm eas elevans, *in unum*, eas demittit et jungit: *Deum*, caput cruci profundè inclinât; tum voce quasi submissâ reliquum recitat, uti in missa privata. Dum cantatur in choro *Jesum Christum*, si tunc absolverit symbolum, caput cruci inclinât; aliàs non. Infra versiculum *qui propter nos homines*, factâ cruci capitis inclinatione, descendit de altari, et flexis duobus genibus supra gradum altaris superiorem, caput, non corpus, profundè inclinât sub versu *et incarnatus usque ad homo factus est* inclusivè. Ere-

librum, id est, tot jactibus thuris, quot crux incensatur, in medio, à dextris et à sinistris, ut totus fumo thuris honorifico perfundatur, caputque inclinât ante et post incensationem, eâ ratione, quâ idem agit crucem incensans. Post cantatum evangelium, thurificatur celebrans, quâ minister Altissimi, et ut in fumo thuris odorifero advertat se teneri exactè servare quod ex evangelio percepit, ad bonum odorem in ecclesia Dei spargendum. Usus thuris et luminis ad evangelium invenitur in antiquissimis liturgiis græcis, in ordine Romano, ac de eo meminit *Amalarius*. Hæc quâ festiva omititur in missis solemnibus defunctorum, et pari ratione illa, quæ fit ante introitum missæ.

ctus accedit ad medium altaris, ubi caput statim cruci inclinatur, quam capitis inclinationem renovat sub verbo *adoratur* tantum. Quando chorus incipit *et vitam venturi*, etc., absque signo crucis, manus deponit super altare in signum discessus pro ministris, simul et ut se paret ad osculandum altare.

Infra cantum symboli celebrans, manibus junctis ante pectus, piâ meditatione recogitat mysteria, quæ in symbolo continentur et à choro enarrantur (1).

Si fiat sessio, quæ tamen ex antedictis fieri nequit exposito sanctissimo Sacramento, celebrans, lecto symbolo, procedit cum ministris ad sedilia, ut diximus agentes de hymno angelico, *in officio subdiaconi*, parte 1 hujus tomi, art. III. Sub verbis *Jesum Christum. Et incarnatus est*, etc., *adoratur*, deposito birreto manu dexterâ, et sinistrâ corpori admotâ, sedens, caput profundè inclinatur: excipe tres missas Nativitatis Domini, missam annuntiationis, et auream, in quibus celebrans sub *incarnatus est*, etc., accedit ad medium altaris, ubi flectit duobus genibus in infimo gradu al-

(1) Sacerdos qui celebrat missam conventualem, in qua chorus tenetur cantare *Credo*, non potest eam proseguere eo tempore, quo à choro cantatur symbolum. S. R. C. 17. Sept. 1695.

Præterea totum est à choro cantandum, nec potest intermisceri organum, cær. episc. lib. 1. cap. 28. num. 10. Si ergo infra cantum symboli pulsetur organum, hoc fieri debet ad concomitantiam cantus, non verò ad favendum omissioni versiculorum; hincque erui debet praxim eorum, qui à versu *et incarnatus est* saltant ad ultimum, esse reformandam.

taris cum profunda capitis inclinatione. Ad versum *crucifixus* redit ad sedile (1).

VII. Finito symbolo, vel si non dicatur, post osculum S. textûs, celebrans cantat in medio *Dominus vobiscum*, deindè conversus ad altare *oremus*, et sequentia peragit, uti in missa privata; excepto quòd benedicens aquam in medio altaris, deponat manum sinistram in altare, et deposito calice post illius oblationem, ponat extremitatem digitorum utriusque manûs supra pedem calicis, dum tegitur à diacono.

Dicto *veni sanctificator*, etc., ministrante diacono naviculam, et invitante ad benedictionem incensi his verbis: *benedicite, pater reverende*, celebrans habens manum sinistram corpori applicatam ter thus injicit in thuribulum, ut antè dictum est, interea dicens submissâ voce: *per intercessionem*, etc. Reddito autem cochleari diacono, memor invitationis sibi factæ ad thus benedicendum, præviâ manuum junctioe, supra thus cremans in vasculo thuribuli producit signum crucis, dicens: *incensum istud dignetur Dominus bene ✠ dicere, et in odorem suavitatis accipere*, etc.: tum accepto thuribulo, incensat oblata, ut sequitur: 1.º habens manum sinistram corpori applicatam, facit tria signa crucis cum thuribulo super oblata, incipiens primam lineam cujuslibet signi circa extremitatem pallæ posteriore, et adducens lineâ rectâ thuribulum ultra hostiam. Deindè hanc primam lineam secat aliâ transversâ juxta oram pallæ anteriorem: sub primo autem signo crucis, secretò dicit *incen-*

(1) Ita *Merati* ex *Bisso*. Tom. 1, p. 2, tit. 6, n. 40.

*sum istud, sub secundo à te benedictum, et sub tertio ascendat ad te Domine. 2.º Cum thuribulo ter circuit oblata demittens manum, ita ut pes thuribuli quasi tangat mensam altaris : primus et secundus circulus fiunt à dextra in sinistram, id est, à cornu epistolæ ad cornu evangelii per partem posteriorem calicis; tertius verò à sinistra in dextram; sub primo dicitur et descendat super nos, sub secundo misericordia, et sub tertio tua. Reliquum hujus incensationis perficitur eodem modo, ac post ingressum ad altare, hoc solùm addito, quòd celebrans incipiens incensare crucem vel SS. Sacramentum incipiat psalmum *Dirigatur, Domine, oratio mea*, etc., cujus verba ita distribuit sub quolibet jactu thuribuli, ut illius recitatio absolvatur in fine incensationis (1) : dum*

(1) Sic autem dispensari possunt verba hujus orationis infra incensationem dicendo :

Num. 1. <i>Dirigatur</i>	16. <i>Et</i>
2. <i>Domine</i>	17. <i>Ostium</i>
3. <i>Oratio mea</i>	18. <i>Circumstantiæ</i>
4. <i>Sicut</i>	19. <i>Labiis</i>
5. <i>Incensum</i>	20. <i>Meis</i>
6. <i>In conspectu</i>	21. <i>Ut non</i>
7. <i>Tuo</i>	22. <i>Declinet</i>
8. <i>Elevatio</i>	23. <i>Cor meum</i>
9. <i>Manuum</i>	24. <i>In</i>
10. <i>Mearum</i>	25. <i>Verba</i>
11. <i>Sacrificium</i>	26. <i>Malitiæ</i>
12. <i>Vespertinum</i>	27. <i>Ad excusandas</i>
13. <i>Pone Domine</i>	28. <i>Excusationes</i>
14. <i>Custodiam</i>	29. <i>In peccatis.</i>
15. <i>Ori meo</i>	

Ubi autem non sunt reliquiæ, sub incensatione crucis, vel SS. Sacramenti, poni debent verba sequentia : sub primo jactu thuribuli dicatur : *dirigatur, Domine, oratio mea* : sub secundo *sicut incensum* : et sub tertio *in conspectu tuo*. Reliquum, ut supra.

autem reddit thuribulum, secretò dicit: *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam æternæ charitatis. Amen.* Post sui incensationem, celebrans lavat manus in eodem situ, sub quo fuit incensatus (1).

Diaconus postquam incensavit celebrantem, aperit thuribulum, et si opus sit, thus injicitur absque benedictione à thuriferario, tum factâ genuflexione, se transfert ad chorum respondentem cornu epistolæ et præviâ capitis inclinatione, juxta morem loci chorum incensat, sequente thuriferario; dein transit ad alium chorum flectens in medio, et idem facit. Reversus ad altare genuflectit in cornu epistolæ, simulque subdiaconus, præviè demissâ ante pectus patenâ: erecti autem et ad se conversi facie ad faciem, et præmissâ mutuâ capitis modicâ inclinatione, diaconus bis incensat subdiaconum: quo facto renovant salutationem mutuam, ut antè; deindè subdiaconus lentè se ad altare convertit et flectit simul cum diacono, et non antè: erectus extollit patenam ante faciem, et hæret in loco suo. Si sit expositum SS. Sacramentum ad sui incensationem debet paululùm procedere è medio altaris versùs cornu evangelii.

Diaconus, incensato subdiacono, reddit thuribulum, et factâ genuflexione in medio altaris retrò post celebrantem, conversus ad thuriferarium, ita ut habeat sinistram contra altare, bis

(1) In missa solemnè in qua habetur incensatio, ad psalmum *Lavabo*, celebrans non præcisè indices et pollices, sed manus integras lavare debet; idque ob fumum thuris, quo manus sordescere possunt; ita *Catalanus* l. 2. n. 5, et plures alii.

ab eo incensatur, sub mutua inclinatione capitis ante et post incensationem. Si venerabile Sacramentum sit expositum, parùm recedit è medio, ut mox dictum est de subdiacono. Incensatus iterùm flectit, et erectus stat manibus junctis retrò post celebrantem, nisi accedendum sit ad sinistram illius ad vertenda folia missalis sub secretis.

In minoribus ecclesiis, in quibus chorus non habetur, diaconus, postquam celebrantem incensavit, factâ suâ genuflexione supra infimum altaris gradum, incensat subdiaconum, ut suprâ (1).

(1) Baro Dominus in aliqua ecclesia parochiali, ubi non sunt canonici, thurificandus est post celebrantem, ministros paratos, et archipresbyterum. S. R. C. 17. Sept. 1608.

Ante incensationem oblatorum, ratione jam datâ thus benedicitur. Formula hujus benedictionis non est ubique eadem. Ritu Leodiensi perficitur his verbis: *incensum istud sit à te, Domine, bene ✠ dictum*, aliasque quoad sensum similes habent liturgiæ particulares; Romana autem dicit: *per intercessionem*, etc. Hæc oratio, quamvis legatur in missa *Illyrici*, quæ refertur ad sæculum VII, tamen in multis missalibus posterioribus non invenitur, nec illam habent Carthusiani, Dominicani, pluresque ecclesiæ Gallicanæ: undè inferri potest sæculo XII, in quo nati sunt FF. Prædicatores, non fuisse communiter in liturgia receptam. Interim in quibusdam libris sæculi XI legitur, et in uno missali Coloniae impresso 1133, ac tandem locum fixum invenit in missalibus *Pii V.* Celebrans, accepto thuribulo, in modum crucis incensat oblata, ut hoc signo redemptionis nostræ magis ac magis sanctificentur. Ter autem crux repetitur, ut fumus magis diffundatur; ideoque demittitur postea thuribulum, et per modum circuli eadem oblata fumo perfunduntur, et quidem bis à dextra in sinistram, et tertio à sinistra in dexteram, ut hâc thuribuli reversione fumus abundantior educatur, et jam emissus et quodammodo hâc operatione percussus efficacius disseminetur. In ordine Romano sæculi XIV, simpliciter dicitur: *circumferat ter ipsum thuribulum in gyro circa calicem et hostiam*. Eodem modo loquitur sæculo præ-

Reliquum missæ celebratur, uti in missa privata, sub paucis exceptionibus, iisque sequentibus: 1.^o quotiescumque calix est discooperiendus vel coöperiendus, celebrans deponit utramque manum supra pedem calicis: 2.^o post cantatam orationem dominicam, deponit manus supra cor-

cedente *Durandus* lib. 4, cap. 31, sed in missalibus subsequentibus *Pii V*, ritus hodiernus reducendi thuribulum à sinistra in dexteram fuit expressè præscriptus. Ritus hic Romanus non ubique servatur; nam juxta usum Leodiensem incensatio oblatorum unâ cruce completur; Carthusiani unam tantum et gyrum unum circa calicem formant; ordinarium ordinis Præmonstratensis unam crucem et tres gyros habet, et in quibusdam missalibus particularibus unam tantum crucem, vel duas aut tres facere arbitrio celebrantis linquitur. Oblatis incensatis, perficitur incensatio crucis et altaris, uti dictum est ante introitum; sed postea thuris honor conceditur servantibus in altari, clero et populo, quâ ministris et membris Christi, et quorum communicatio cum capite juxta *S. Thomam*, hâc thurificatione communi, Christo et populo representatur. Alii hanc cleri et populi incensationem habent ut symbolum charitatis, quacum offerri debent preces eorum, ut coram Deo ascendant in odorem suavitatis: huic sensui consonat oratio celebrantis sub illius incensatione. *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam æternæ charitatis. Amen.* Celebrans ter incensatur, diaconus et subdiaconus bis, acolythi verò semel tantum in distinctionem characteris et dignitatis; hincque observari debet ex cær. episc. in fine cap. 23. præsentem aliquâ dignitate, v. g. episcopo, celebrantem, infra missam bis tantum esse thurificandum. In missis de *requiem* fit incensatio oblatorum; tum in honorem sacrificii, quâ ratione subdiaconus etiam incensatur ad elevationem specierum; tum ne preces omittantur, quæ cæremoniam incensationis concomitantur, scilicet *incensum istud*, etc., et psalmus *Dirigatur, Domine, oratio mea*, etc., in illis tamen, nec ministri, nec clerus, nec populus incensatur: non modò, quia horum thurificatio est solemnitas et festiva, adeoque parùm congrua missæ de *requiem*; sed et quia nihil vel parùm conducere ad salutem mortuorum, ad quam conducere potest thurificatio oblatorum facta cum oratione ad Deum.

porale, donec ipsi offeratur à diacono patena. 3.º Post primam orationem *Domine Jesu Christe*, etc., depositis manibus intrà corporale, osculatur altare in medio, et conversus ad diaconum sine genuflexione, deponit utramque manum quoad palmas supra humeros illius, admovens autem genam sinistram sinistræ diaconi, dicit voce intelligibili *pax tecum*: tum resumpto situ pristino prosequitur alias orationes. 4.º Sumptâ secundâ purificatione, semel abstergit fundum calicis; illum deponit in corporale, ac deserit à subdiacono ulteriùs abstergendum. 5.º Celebrans non dicit *humiliate capita vestra Deo*, nec *ite, missa est* (1), sed audit diaconum illa cantantem, nec priùs se convertit ad missale, seu altare, quàm diaconus absolverit. Si dicendum sit *benedicamus Domino*, celebrans, dicto *Dominus vobiscum*, se statim vertit ad altare, et ad illud conversus, non in itinere, dicit *benedicamus Domino*, cui ministri respondent *Deo gratias*.

ARTICULUS II.

De missa solemnè, exposito SS. Sacramento.

I. CELEBRANS et ministri procedunt è sacristia capite coöperto, sed ingredientes presbyterium, seu capellam, in qua est expositum SS. Sacramentum, se discoöperiunt, et mox birreta tradunt acolythis ubi adsunt. Aliàs deficientibus acolythis, tenent illa ante pectus per

(1) Ita auctores, et ratio hujus per se patet: quia nempè hæc præstat per ministrum.

partem inferiorem, manibus infra junctis, et pollicibus in parte concava cancellatis. Ubi constituti sunt ante infimum altaris gradum, in suis respectivè locis, celebrans tradit birretum diacono, qui manu dexterâ illud recipit, moxque demittit servienti, ac deinde eidem suum deserit. Pariter in alio latere subdiaconus, birretum deponit in manus acolythi, si adsit; aliàs paulò post genuflectens cum aliis deponit in aliquem altaris gradum.

Depositis birretis, et non antè, flectunt omnes duobus genibus super infimum altaris gradum, præstantque genuflexi profundam Sacramento capitis (N. B. non corporis) inclinationem, ac erecti absque ulla nova inclinatione missam exordiantur, et proseguuntur more solito.

II. Celebrans post ascensum ad altare, statim, seu antequam incipiat *oramus te, Domine*, etc., flectit uno genu cum ministris. Absolutâ oratione prædictâ, imponitur thus, ut moris est, excepto quòd celebrans, propter reverentiam SS. Sacramento exposito debitam, paululùm se retrahat de medio versùs cornu evangelii, quod semper est observandum, quoties præsentè SS. Sacramento thus imponitur in medio altaris; non est autem præviè ad hunc modicum recessum faciendâ genuflexio. Imposito et benedicto thure, celebrans et ministri, præviâ genuflexione, recedunt ab altari (hic et semper cavere debet celebrans, ne terga vertat SS. Sacramento, proin recedens ab altari debet paululùm se trahere versùs cornu evangelii). Postquam autem flexi fuerint duobus genibus supra gradum superiorem altaris, seu suppedaneum (1), reci-

(1) Equidem in cær. episc. lib. 2. cap. 33. § 26. præscri-

pit à diacono thuribulum celebrans; facit cum ministris profundam capitis inclinationem SS. Sacramento, et ter illud (non crucem) incensat; post quod renovat capitis inclinationem, et dein ascendit ad altare, ubi factâ genuflexione, perficit incensationem, ut antè dictum est, flectendo quotiescumque transit ante SS. Sacramentum. Post ultimum jactum thuribuli celebrans reddit illud diacono, et manibus junctis descendit (N. B.) usque in planum capellæ, ubi per suam sinistram facie versâ ad populum, sic ut ipsius dextera sit contra cornu epistolæ, ter incensatur à diacono, qui post incensationem reddit thuribulum thuriferario, assistitque cum subdiacono lectioni introitûs.

Hic nota, quòd diaconus, exposito SS. Sacramento, non osculetur (1) neque cochlear, neque catenulas, neque manum celebrantis: osculatur tamen subdiaconus manum celebrantis post cantatam epistolam; osculatur et eam diaconus antequam cantet evangelium; pariter hic osculari debet ad offertorium pedem calicis et manum celebrantis, et post orationem dominicam patenam et manum ejusdem.

bitur hæc incensatio facienda in infimo gradu altaris, sed usus Basilicarum almæ Urbis, quæ est mater et magistra ecclesiarum omnium, habet, ut genuflexio hæc fiat super ipso altaris suppedaneo. Ibiq; esse faciendam contra dictum cær. tenent *Gavantus*, *Lohner*, *Tornellius*, *Bauldry*, *Bissus*, *Hippolytus à Portu* et *Merati*. Extra missam tamen dum incensatur SS. Sacramentum, id peragi debet in infimo gradu altaris, præsertim, inquit *Merati* tom. 2, §. 10, cap. 3, n. 14, dum solum incensatur Sacramentum.

(1) Ita *Gavantus*, *Merati*, *Dumoulin* et alii contra *Janssens*.

III. Quantum ad genuflexiones relativè ad ministros : 1.^o flectere tenentur toties quoties accedunt ad medium altaris, vel ex eo discedunt; quando autem è locis suis, seu è medio capellæ ascendunt ad altare, vel ex altari redeunt ad prædicta loca, tantùm flectunt in termino à quo, non verò in termino ad quem : aliud tamen est de diacono transeunte ab uno latere celebrantis ad aliud; flectit enim in utroque termino, uti dictum est part. 2 hujus tomi de ipsius officio. Ab hac regula excipitur subdiaconus ferens textum evangelii à celebrante osculandum : quippè non flectit transiens per medium altaris, sed post osculum S. textus : unde ut osculatus est celebrans librum, inclinât ei modicè caput; descendit deindè à gradibus altaris, et conversus ad altare per suam dexteram, coram SS. Sacramento genuflectit, ac postea librum tradit acolytho.

Excipi quoque debent ministri post ablutionem digitorum transeuntes de uno latere ad aliud; semel enim tantùm flectunt in medio retrò post celebrantem (1), uti traditum est suprâ in officio diaconi pariter et subdiaconi.

(1) Ita *Merati*, P. II, tit. XI, n. VIII et alii plures, sed difficultas est, quare hic ministri non teneantur flectere in termino à quo et ad quem, cùm juxta principia citati auctoris diaconus post *sanctus* flectere debeat ad dextram et deindè ad sinistram celebrantis. Sed rectificari potest hæc difformitas, eò quòd hic adsit specialis ratio recedendi à regula communi; cùm enim aliquid ferant præ manibus, diaconus nempè librum fortè cum cussino, et subdiaconus palam, cochlear et fortè etiam velum, decentiùs et commodiùs flectere possunt in medio quàm juxta altare. Præterea cùm rubrica nihil positivè statuât circa has ex parte ministro-

Quando celebrans genuflectit, et ministri non debent transire è locis, tunc ad genuflexionem non tenentur: hinc 1.^o subdiaconus tenens patenam stat immobilis, quamvis pluries infra incensationem flectant celebrans et diaconus: hinc 2.^o ministri non flectunt, dum celebrans flectit post hymnum angelicum ad cantandum *Dominus vobiscum*, sed tantùm quando dicto *Dominus vobiscum*, flectit discessurus ad cornu epistolæ. Ex his patet quomodò se gerere debeant dicti ministri in similibus casibus.

IV. Diaconus antequam cantet *ite, missa est*, flectit uno genu: erectus se convertit ad populum, sed ad normam celebrantis, cantantis *Dominus vobiscum*, seu ita ut terga directè non vertat ad SS. Sacramentum, et insuper debet paululùm recedere è medio versùs cornu evangelii.

Sub evangelio S. Joannis ad hæc verba *et Verbum caro factum est*, flectunt ministri uno genu, paululùm conversi ad SS. Sacramentum.

Tandem post descensum ex altari, flectunt celebrans et ministri duobus genibus super infimum altaris gradum, caputque genuflexi inclinant Sacramento, si remaneat expositum. Erecti recipiunt birreta, quibus se coöperiunt, dum è conspectu sanctissimi Sacramenti transierunt, et non antè.

Reliqua, quæ spectant ad missam coram Venerabili patenter exposito, hauriri debent à celebrante, tum ex iis, quæ diximus de missa so-

rum genuflexiones, in his et similibus standum est usui et praxi communi; utpotè quæ quodammodò tenent locum rubricæ.

lemni absque expositione, tum ex iis, quæ dicta sunt de missa privata coram SS. Sacramento; à ministris verò, ex iis quæ suprà tradita sunt de officio diaconi et subdiaconi infra missam solemnem absque expositione.

ARTICULUS III.

De missa solemni pro defunctis.

Hic non referemus ea, quæ omittuntur in missa defunctorum; de iis actum est tom. I, parte 1, art. V, adeòque videantur ibi dicta: tantùm hic est sermo de iis, quæ ultrò servanda sunt à celebrante et ministris infra missam solemnem de *requiem*. Igitur,

I. Thus non imponitur ante egressum è sacristia, nec post ingressum ad altare, nec ad evangelium, sed solùm post offertorium, et ante consecrationem, de quo postea suo loco.

II. Factâ confessione, more solito, ascendunt ministri ad altare, ubi lentè genu uno flectunt ad latus celebrantis, ut parcant secundæ genuflexioni, quæ facienda foret ante discessum à medio altaris. Ad introitum solus celebrans, depositâ manu sinistrâ in librum, illum signat, et ministri stant manibus junctis absque ullo crucis signo. Post cantatam epistolam et genuflexionem in medio altaris, subdiaconus nec recipit benedictionem celebrantis, nec osculatur illius manum, sed reddit librum epistolarum acolytho; vel si diaconus utatur eodem ad cantandum evangelium, ei tradit sub debitis inclinationibus capitis. Diaconus circa finem evangelii genuflexus, inclinato

capite, recitat *munda cor meum*. Erectus ascendit ad altare, flectit uno genu, et accepto libro evangelii, descendit absque benedictione, extra gradus altaris, flectit uno genu cum aliis, et pergit ad locum, ubi solet cantari evangelium. Cantato evangelio, claudit librum supra pulpitem; vel si sustineatur à subdiacono, hic illum claudit et reddit acolytho.

Si cantetur prosa *Dies iræ*, etc., interea celebrans, lectâ epistolâ, dicit *munda cor meum*, et legit evangelium; post quod accedit ad medium altaris, ubi habens à dextris diaconum, et à sinistris subdiaconum, stat manibus junctis usque ad finem prosæ. Ante penultimam stropfen recedit diaconus ab altari, et genuflexus cum capitis inclinatione dicit *munda*, etc., interim celebrans et subdiaconus à sinistris ipsius inclinant caput ad nomen *Jesu* sub ultima strophe. Erectus diaconus accedit ad altare, flectit unico genu cum subdiacono, accipit librum, et absque benedictione discedit iterum flectens in infimo gradu.

III. Post *oremus* ante offertorium, præviâ genuflexione diaconus ascendit ad dexteram celebrantis; subdiaconus verò tendit ad credentiam ad accipiendum calicem, si sit ibi, quem portat ad altare coöpertum velo, et hursâ desuper; ipse autem subdiaconus non induitur ad hoc velo oblongo seu humerali. Si calix sit paratus in altari, ut accidit ordinariè, subdiaconus post genuflexionem ascendit ad altare juxta dexteram diaconi.

Hic generaliter notandum à diacono, quòd nihil osculetur infra hanc missam, neque patenam, neque calicem, neque catenulas thuribuli, neque manum celebrantis : unde sub hac exceptione omnia peragit infra offertorium more solito. Subdiaconus hìc omittit *benedicite, pater reverende*, quia aqua non benedicitur : igitur sub oratione *Deus, qui humanæ substantiæ*, simpliciter infundit aquam in calicem ; et statim recedit ab altari, seque sistit retrò post celebrantem in loco ordinario, flectitque ibi more solito.

IV. Post orationem *in spiritu humilitatis*, etc., celebrans, diacono ministrante, imponit thus, quod benedicit formulâ ordinariâ *per intercessionem*, etc., deindè incensat oblata, et altare, sub præscriptis orationibus, ut antè dictum est de missa solemnì, non exposito SS. Sacramento. Ad incensationem crucis, subdiaconus absque prævia genuflexione accedit ad sinistram diaconi, et dexterâ elevans extremitatem casulæ, sub debitis genuflexionibus, concomitatur celebrantem infra incensationem. Post thurificationem altaris, dimittit celebrans thuribulum dicens *accendat in nobis*, stansque in cornu epistolæ infra altare, sic ut habeat latus sinistrum directè contra cornu epistolæ, solus à diacono incensatur. Dimisso thuribulo, diaconus et subdiaconus assistunt lotioni manuum, et post effusionem aquæ ab acolytho, ambo tenentes linteum per extremitates, illud offerunt celebranti pro siccandis digitis : postquam autem diaconus illud recepit à celebrante, reddit acolytho, et tunc se recipiunt ministri ad sua respectivè loca retrò post celebrantem.

V. Ante consecrationem, seu ad hæc verba *quam oblationem*, etc., subdiaconus accedit paululum versùs cornu epistolæ, ubi flexus duobus genibus recipit de manibus thuriferarii thuribulum fumigans, seu in quod jam thuriferarius injecit thus absque benedictione: prolatâ autem formâ primæ consecrationis, facit Sacramento profundam capitis inclinationem, et triplici jactu illud incensat; primò dum celebrans flectit, deindè dum species elevantur, et tertio dum repositis speciebus celebrans iterùm flectit, caputque post trinam incensationem denuò inclinat Sacramento. Idem observat post secundam consecrationem. Reddito thuribulo, se erigit, et redit ad locum, stans ibi usque ad *pax Domini sit semper vobiscum*: sub his verbis genuflectit, et ascendit ad sinistram celebrantis. Dicto *agnus Dei* sine pectoris tusione, cùm pax non detur, statim ministri mutant locum, seu subdiaconus transit ad dexteram, et diaconus ad sinistram celebrantis cum genuflexione in recessu et in accessu.

VI. In fine missæ, diaconus stans facie versâ ad altare, absque prævia genuflexione cantat *requiescant in pace*, semper in plurali, quamvis pro uno tantùm celebretur. Celebrans illud etiam dicit conversus ad altare, et subdiaconus ei respondet *amen*. Post cantatum à diacono *requiescant in pace*, dum celebrans accedit ad cornu evangelii, simul accedunt ministri sine prævia genuflexione, et reliquum servant, ut moris est.

ARTICULUS IV.

De absolute juxta usum Romanum.

HÆC inprimis notanda sunt circa dispositionem cadaveris, vel castri doloris. Si cadaver defuncti sacerdotis sit realiter præsens, tunc debet ita collocari, ut caput ipsius sit versùs altare, pedes verò versùs portam; supponimus hìc quòd porta sit ex adverso ipsius altaris: imò quando cadaver sacerdotis defuncti non est præsens, castrum doloris juxta Gavantum ita constitui debet, ut figuret caput ad altare declinatum, et pedes versùs januam. Cadaver diaconi, subdiaconi, aut laici, sive reale, sive figuratum castro doloris, sic collocari debet, ut caput sit versùs portam et pedes contra altare.

Idem cadaveris situs est quoque retinendus in illius sepultura, hoc est, quòd corpus sacerdotis si in ecclesia sepeliatur, sit ita demittendum in terram, ut caput ipsius sit contra altare, aliorum verò contra portam.

Deindè circa situm sacerdotis absolventis, et subdiaconi crucem ferentis, hæc servari debent: in sepultura, seu absolute sacerdotis defuncti, quando corpus est præsens, absolvens se sistere debet ad pedes cadaveris inter feretrum et januam; subdiaconus verò crucifer ad caput inter feretrum et altare (1). In absolute autem aliorum, et

(1) An in exequiis defunctorum sacerdotum, præsentem corpore, subdiaconus se sistere debeat ad caput defuncti sacerdotis, vel ad pedes juxta opinionem *P. Merati*? Responsum fuit: servetur rituale Romanum; et in exequiis defuncti sa-

etiam sacerdotum, quando horum corpus non est præsens, absolvens se collocare debet inter corpus vel castrum doloris et altare; subdiaconus autem inter feretrum et portam: porrò subdiaconus semper et in omni casu ita crucem sustinebit, ut imago crucifixi respiciat ex adverso faciem absolventis (1).

His præmissis, finitâ missâ, ministri deponunt manipulos, et celebrans casulam et manipulum vel in cornu epistolæ, vel sacristia; hicque induitur pluviali nigri coloris, accipitque birretum, quo se coöperit, factâ priùs in sacristia capitis inclinatione imagini. Si autem indutus fuerit pluviali in cornu epistolæ, id est, in plano capellæ juxta idem cornu, accipit birretum, quo caput statim tegit; accipit et suum diaconus, quo pariter se operit, circulariter autem progrediendo, per planum se transferunt ad medium altaris, ubi flectit diaconus à dextris celebrantis, discoöperto priùs capite; quod et facit sacerdos, si in altari sit tabernaculum, aliàs hic tantùm præstat cruci profundam corporis inclinationem. Erecti, et capitibus tectis, discedunt; primus incedit subdiaconus crucifer medius inter duos acolythos lumen portantes cum cande-

cerdotis, præsentem corpore, locetur crux ad caput defuncti inter feretrum et altare. S. R. C. 5. Sept. 1746.

(1) An infra processionem ab altari ad feretrum subdiaconus ita etiam debeat crucem sustinere, ut imago respiciat sacerdotem sequentem nullibi resolvitur; habetur tamen in caeremonialibus episcoporum. P. 1, c. 15, §. 2. quòd crux ante archiepiscopum deferatur imagine crucifixi ad archiepiscopum sequentem versâ, unde potest deduci, donec aliud statuatur, in omni processione imaginem crucifixi verti debere ad sequentes ipsam crucem.

labris; sequitur celebrans ipsum præcedentibus, ubi commodè potest, duobus aliis acolythis, quorum unus fert thuribulum, alter vas aquæ benedictæ. Diaconus autem incedit à sinistris sacerdotis portans missale, vel rituale, nisi forte deportetur ab alio.

Si absolutio fiat super laicum, vel sacerdotem, absente hujus corpore, se sistit sacerdos absolvens, ut suprâ dictum est, inter corpus, seu feretrum et altare, non tamen præcisè in medio, ne terga vertat altari, sed, ut habent missale Romanum et cæremoniale episcoporum, paulò versùs cornu epistolæ. Illuc adveniens deponit birretum inter manus diaconi, qui deindè illud et suum tradit acolytho, vel alteri: mox autem conversi ad altare, sacerdos per suam sinistram et diaconus per suam dexteram, ambo flectunt si in altari sit tabernaculum; si verò sit tantùm crux, flectit solus diaconus, sacerdote caput profundè inclinante.

Conversus denuò ad feretrum sacerdos cum diacono, dum corpus est præsens (1), recitat orationem *non intres in judicium*, etc. (2), quâ

(1) Quando corpus non est præsens, juxta auctores omitti debet hæc oratio *non intres*. Quòd enim rituale proponat in principio cæremonie legendam, inde est quòd apertè supponat præsentiam cadaveris.

(2) In depositione defunctorum in illis verbis *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo*, quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba *servo tuo* immutari in *serva tua* vel *servis tuis* absque sacrae rubricæ læsione, et servandum est rituale. S. R. C. 51. Aug. 1697. Hæc oratio in casu mulieris verificatur, ut jam diximus, sumendo masculinum pro feminino; prout accidit in legibus, tum civilibus, tum eccle-

absolutâ, chorus cantat *libera me, Domine*, etc. Circa finem hujus responsorii thus paratur: unde diaconus, mediante genuflexione coram altari, transit ad dexteram celebrantis, cui, dicto *benedicite, pater reverende*, offert cochlear sine osculo, et ter injecto thure, illud benedicit celebrans dexterâ formans signum crucis, et interim dicens *ab illo bene ✕ dicaris, in cujus honore cre-maberis. Amen.*

Ut absolutus est à choro cantus ultimi *kyrie*, cantat sacerdos absolvens *Pater noster*, et secretò recitans reliquum usque ad *et ne nos* exclusivè sinistram corpori admovet, et dextrâ accipit à diacono aspersionem (diaconus infra hanc totam cæremoniam, nec manum absolventis, nec instrumenta osculatur): conversus ad altare simul cum diacono flectit uno genu cum eodem; si in altari sit tabernaculum, vel si sit tantùm crux, flectente nihilominùs diacono, facit ei profundam capitis inclinationem. Tum discedens (N. B.) tendit ad partem feretri, quæ respondet cornu

siasticis, in quibus hæc verba *si quis* mulieres comprehendunt. In casu autem plurium defunctorum, verificantur sumendo hæc verba *cum servo tuo*, de quolibet divisim, prout sumuntur hæc verba *ecce sacerdos magnus* in officio plurimorum confessorum, et *hæc est virgo sapiens* in officio plurium Virginum. Quoad sensum hujus propositionis: *Non intres in iudicium cum servo tuo*, non est talis, quasi peteretur ut Deus in causa defuncti abstineret à sententia; jam enim est prolata, et sors illius æterna est decisa irrevocabiliter; sed vel retrahendo hanc orationem ad tempus, in quo anima nondùm erat iudicata, vel accipiendo hoc iudicium ut cadens in pœnas purgatorii, ita ut sensus sit: Non intres in iudicium rigorosæ justitiæ cum servo tuo, sed cum eo te geras secundùm magnam misericordiam tuam. Huic sensui, ut attendenti patebit, consonant verba sequentia hujus orationis.

evangelii, illudque aspergit semel in extremitate, deindè semel in medio, et tandem semel in extremitate versùs portam : interea diaconus incedit cum sacerdote à dextris illius, et elevat extremitatem pluvialis ad majorem libertatem brachii aspergentis. Dum transeunt ante crucem, quæ distare debet à feretro quinque circiter pedibus, genuflectit diaconus, et profundè corpus inclinat sacerdos (1) : ad quod præstandum se totaliter ad crucem debent convertere. Sacerdos reversus ad feretrum eodem modo ter aspergit aliam partem, 1.º extremitatem versùs portam, 2.º medium, et 3.º extremitatem versùs altare. Redux ad locum, unde priùs discesserat, statim reddit diacono aspersorium, et ab eodem recipit thuribulum, factâque iterùm altari genuflexione, vel inclinatione capitis, prout postulat qualitas altaris, eodem modo, eodemque ordine incensat feretrum, id est, ter in utraque parte; et dum transit ante crucem, se illi profundè inclinat : quantum ad diaconum, semper comitatur absolutionem, elevat pluviale, et flectit quotiescumque sacerdos flectit, vel se inclinat.

Hic diligenter notandum 1.º quòd sacerdos absolvens infra aspersionem, vel incensationem

(1) Rituale Romanum ponit inclinationem exhibendam ante discessum pro aspersione, sed missale expressè habet *cùm transit ante crucem profundè inclinat*, huic autem missalis dispositioni passim adhærent auctores. Hic etiam statuitur simpliciter inclinationem profundam esse cruci exhibendam à sacerdote infra absolutionem : per hanc autem, dum simpliciter et sine addito assignatur, profunda corporis intelligitur; proindèque sacerdos absolvens, dum transit ante crucem, ad talem tenetur : idque ex speciali rubricæ ordinatione.

nullatenùs debeat hæerere, sed semper incedere; id enim præscribitur in rituali his verbis : *Circumiens feretrum.... aspergit corpus defuncti.... circumcivit feretrum et corpus incensat*. Quibus indicatur simultaneitas incessùs et aspersionis, seu thurificationis. Hinc errant, qui hærentes in parte laterali feretri, incensant primò medium ipsius, deindè unam et aliam extremitatem, quique antè et post exhibent capitis inclinationem.

2.º Quòd aspersionis et thurificationis fieri debeant capite discoöperto.

3.º Quòd, si elevetur SS. Sacramentum, absolvens et omnes ministri non genuflectant, sed prosequantur; rectiùs tamen esset, si tunc impediretur pulsus campanularum.

Absolvens ergò reversus post incensationem ad locum suum, reddit thuribulum diacono, et cum eodem flectit, vel facit altari suam reverentiam : tum conversus ad feretrum, et habens à sinistris diaconum librum sustentem, junctis manibus, dicit altà voce *et ne nos inducas in tentationem*, et reliqua, ut in rituali Romano, usque ad orationem *Deus, cui proprium est*, etc. inclusivè, vel *absolve, quæsumus*, aut aliam convenientem.

Quòd si corpus non sit terræ mandandum : v. g. quia absolutio fit super castro doloris, finitâ oratione *Deus, cui proprium est*, aut aliâ, celebrans, admotâ corpori sinistrâ, manu dexterâ format signum crucis in castrum doloris (1) dicens : *requiem æternam dona ei, Domine*, et dicto à cantoribus in singulari *requiescat in pace*,

(1) Rub. miss. de rit. serv. in celeb. miss. tit. 15. n. 4.

si absolutio pro uno tantum, et *requiescant*, si pro pluribus simul fiat, absolvens ex decreto S. R. C. (1) subjungit *anima ejus, et animæ omnium*, etc., et cruce præcedente redit cum aliis processionally in sacristiam.

Si verò absolutio fiat, corpore præsentem, et sit sepeliendum, peractis omnibus supra traditis, et finitâ oratione *Deus, cui proprium est misereri*, etc., vel aliâ pro qualitate defuncti; corpus defertur ad locum sepulturæ, clericis cantantibus antiphonam *in paradisum*, etc. Corpore prope fossam deposito, subdiaconus se sistit ad illius caput cum cruce: celebrans verò ad pedes cum diacono; hic in accessu genuflectit coram cruce,

(1) In Exequiis post absolutionem, quæ fit supra cadaver, vel supra tumulum in die anniversario (seu *in die depositionis absente corpore*), dicto versu *requiescant in pace*, subjungi debet: *anima ejus, et animæ omnium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace*. Sed super lecticam, seu castrum doloris in commemoratione omnium fidelium defunctorum, nihil est superaddendum. S. R. C. 2. Decemb. 1684.

Addimus rationem, cur à cantoribus dicendum sit *requiescat in pace*, licet in citato decreto et in missali habeatur in plurali *requiescant in pace*. Quia nempe in singulari ponitur in rituali Romano. Olim *Gavantus*, antequam S. R. C. hanc additionem faceret *anima ejus, et animæ*, etc., stabat pro plurali juxta missale: quia, aiebat, est ultimum vale, in quo solet Ecclesia orare pro omnibus defunctis, uti patet in fine Horarum. At hæc ratio non amplius militat suppositâ additione præactâ. Ideoque adhæremus dispositioni ritualis Romani. Nec obest in decreto supra relato haberi in plurali *requiescant*, quod videtur omne dubium tollere. Respondet enim *Cavalieri* scribens super hoc decreto, S. R. C. unum tantum in eo voluisse, scilicet ut adderetur *anima ejus, et animæ*, et quoad verbum *requiescant*, quod in dubio proposito malè erat conceptum illud reliquisse, utpotè ad rem non faciens.

et ille profundam facit ei corporis inclinationem. Post quod, diacono librum tenente à sinistris sacerdotis, hic benedicit sepulchrum, si nondum sit benedictum (1); ad hoc autem recitat, manibus junctis et clarâ voce, orationem *Deus cujus miseratione*, etc.; tum more solito, imponit thus cum illius benedictione, ad quod diaconus, præviâ ad crucem genuflexione, transit ad dexteram celebrantis. Thure posito, de manibus diaconi recipit aspersorium, eoque stans in eodem loco absque incessu ter aspergit corpus defuncti in medio, à dextris et à sinistris illius, et deindè conversus ad sepulchrum, trinam pariter illius facit aspersionem. Dimisso aspersorio, accipit thuribulum, et etiam ter incensat corpus et ter sepulchrum.

Reddito thuribulo, vel si non fiat benedictio sepulchri, cantatâ antiphonâ *in paradisum*: sacerdos absolvens intonat *ego sum*, ac immediatè post hæc duo verba cantor incipit canticum *benedictus*, quod alternatim absolvitur à choro, et in cujus fine additur *requiem æternam*, etc.

Repetitâ antiphonâ *ego sum*, etc. sacerdos, diacono librum tenente coram eo, ut suprâ, dicit

(1) Sepulchrum non est benedicendum, quando in eo jam condita fuerunt corpora: quia censetur primâ vice benedictum. Pariter simplex fossa in ecclesia vel cœmeterio non est benedicenda: quia locus est ad hoc præviè benedictus: unde suprâ memorata benedictio solùm invenit locum quando extractum est novum sepulchrum ex lapidibus aut lateribus; tunc enim si non fuerit benedictum post illius constructionem (quod fieri potest), benedici saltem debet antequam in illud deponatur aliquod corpus. Extra hunc casum non ita frequentem, omittitur oratio *Deus cujus miseratione*, pariter aspersio et thurificatio sepulchri et corporis. *Baruffaldus* tit. XXXV. D. XIV, n. 168 et 169.

altâ et rectâ voce *kyrie eleïson*, *Pater noster*, quod secretò prosequens absque motu locali ter aspergit corpus in medio, à dextris et à sinistris, tum subdit altâ voce et manibus junctis *et ne nos inducas*, etc. ac cætera ut in rituali, librum adhuc tenente diacono. Dicens autem *requiem æternam dona ei, Domine*, antequam cantores cantent *requiescat in pace*, dexterâ signum crucis facit in sepulchrum.

Dicto, absque signo crucis, *anima ejus, et animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace, amen*, sacerdos et ministri redeunt ad sacristiam, recitantes sine cantu antiphonam *si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?* Deindè subjungunt psalmum *de profundis*, addendo in fine *requiem æternam*, et postea antiphonam *si iniquitates*, etc. Hæc antiphona dimidiatè ante psalmum et integrè post illum dicitur. In casu defuncti sacerdotis, corpore præsentè, omnia suprâ dicta servantur sub sequentibus exceptionibus: 1.^o celebrans se sistit ad pedes defuncti inter portam et feretrum, quò veniens, si sit è regione sui tabernaculum, flectit cum diacono (1); quòd si tabernaculum non adsit, flectente diacono, tantùm corpus coram cruce profundè inclinât. Idem renovant ante discessum pro aspersione et thurificatione. Idem quoque transeuntes ante crucem, quam sustinet subdiaconus (2). Idem denique post thurificationem ad locum reversi. 2.^o Ad aspersionem et thurificationem discedere debet celebrans

(1) Rit. Rom. de exequiis *Mox sacerdos*, etc.

(2) Rit. Rom. ibidem.

per suâ dexteram ; adeòque priùs aspergere partem respondentem cornu epistolæ.

Hic sequentia sunt observanda : 1.º corpus solum in terram demittitur , quando celebrans et ministri recedunt. 2.º Dum cadaver defertur à domo ad ecclesiam et ab ecclesia ad locum sepulturæ , semper pedes defuncti debent præcedere , sive sit laïcus , sive sacerdos. 3.º Corpora laïcorum , quâvis dignitate fulserint , sunt deferenda à laïcis ; at clericorum , quantum fieri potest , à clericis. Subjicitur decretum ad præsentem materiam spectans : *In absolutionibus in die commemorationis omnium defunctorum , non est dicenda tota conclusio in oratione , sed solum in officio.* S. R. C. 5. Julii 1698.

ARTICULUS V.

De officio presbyteri assistentis , et quibusdam spectantibus ad ministros , dum adest presbyter assistens.

I. SACERDOS , qui assistere debet sacrificio solemni , horâ statutâ se transfert ad sacristiam : constitutus ad dexteram celebrantis (diaconus et subdiaconus in præsentem casu sunt ad sinistram) parat missale disponens signacula in locis , in quibus occurrit aliquid legendum vel cantandum. Deindè , lotis manibus , se induit superpelliceo , stolâ et pluviali coloris convenientis : instante autem discessu , accipit birretum , quod tenet ultimis digitis sinistræ manûs , ut eâdem simul sustinere queat naviculum , è quâ assumens

dextrâ cochlear, offert illud celebranti, sub debitis cæremoniis, de quibus dictum est in officio diaconi.

Dato signo discessûs, omnes simul, detectis capitibus, imagini caput inclinant, et procedunt ministri more ordinario. Presbyter verò assistens incedit ad dexteram diaconi. Cùm perverint ad altare, diaconus et subdiaconus se sistunt ad sinistram celebrantis (1), et assistens ad dexteram, hic recipit birretum celebrantis, et illud cum suo tradit acolytho. Idem recepto diaconi birreto, agit in alio latere subdiaconus. A principio missæ usque ad ascensum ad altare, omnia servat assistens, quæ servaret, si ut diaconus ministraret.

Dum ascendit celebrans ad altare, simul ascendit assistens, et factâ in adventu ad altare genuflexione, descendit extra gradus altaris in planum presbyterii juxta cornu epistolæ; diaconus autem factâ genuflexione, à sinistra transit ad dexteram celebrantis, ut ei thus ministret.

Si assistens solùm sit indutus superpelliceo et stolâ absque pluviali, ministrato thure in sacristia, procedit ad altare incedens post celebrantem, et se sistit in medio retrò post ipsum, ubi, seu in plano capellæ flectit duobus genibus usque ad ascensum ad altare (2), quo instante, se erigit, et transit ad cornu epistolæ, ubi, id est, in plano extra gradus altaris, stat, manibus junctis, conversus ad medium altaris, ita ut videre queat quid in eo agatur.

(1) Cæremoniale episc.

(2) Ita *Dumoulin*.

Hic generaliter adverte, quòd infra totam missam, assistens genuflectat, caput inclinet, et se signet cum celebrante, hunc quasi præveneriens; inclinationes tamen profundas vel mediocres corporis non facit cum eodem, nisi ad *sanc-tus. Agnus Dei. Domine, non sum dignus.* Pariter non extendit manus, non oculos elevat, nec benedicit oblata, vel populum cum celebrante.

Si accidat celebrantem errare, errorem ei indicet signo aliquo modesto, vel voce secretâ, ut, quantum fieri potest, nemo illum advertat.

II. Infra incensationem, assistens genuflectit, vel caput inclinat, quotiescumque celebrans hos actus exercet in altari. Antequam celebrans incenset superficiem altaris in cornu epistolæ, ascendit assistens: constitutus ubi celebrans solet legere introitum, genuflectit, et accepto libro cum cussino descendit in planum. Dum incipit celebrans redire versùs medium altaris, reascendit, et reposito libro supra altare, iterùm genuflectit, reditque in planum, ubi erat priùs. Has duas genuflexiones facere debet presbyter assistens, quando celebrans flectit, vel se inclinat in medio.

III. Antequam celebrans legat introitum, constitutus prope angulum cornu epistolæ, indicat ei baculo ostensorio, vel hoc deficiente, manu dextrâ inversâ initium introitùs. Diaconus et subdiaconus infra introitum etiam stant more solito, primus scilicet ad dexteram celebrantis et secundus ad dexteram diaconi.

Dum celebrans redit ad medium intonaturus *Gloria in excelsis*, ascendit presbyter assistens

supra scabellum altaris, et hæret in cornu epistolæ, relinquens locum apertum diacono ad dexteram celebrantis.

Si fiat sessio infra hymnum, sedet capite coöperto ad dexteram diaconi. In fine hymni quando celebrans flectit cum ministris, vel se inclinat ante gradus altaris præviè ad ascensum, flectit uno genu in plano post tergum celebrantis, et erectus transit ad cornu epistolæ indicaturus celebranti orationes et epistolam; infra quam diaconus stat in suo loco retrò post celebrantem. Si non dicatur *Gloria*, hæret assistens in cornu epistolæ infra *Dominus vobiscum*.

Finità epistolâ à celebrante, stat in suo loco assistens: ad adventum subdiaconi paululùm se retrahit cedens ei locum. Discedente celebrante, tollit librum de altari sine genuflexione, incedensque coram diacono, vel retrò post ipsum, prout amplitudo loci dictat unum præ alio esse practicandum, flectit in medio, et missale deponit supra altare in cornu evangelii. Subdiaconus, cum non transportet missale, dimisso libro epistolarum, transit ad cornu evangelii, flectens in medio unà cum assistente.

Presbyter assistens, stans prope cornu evangelii, respondet celebranti, se signat, se inclinat cum aliis, et vertit folium, quando opus est. Post evangelium, ponit missale propiùs ad medium altaris, et tum factâ genuflexione, descendit in planum presbyterii juxta cornu evangelii. Quando diaconus incipit cantare, se vertit ad eum. Ad hæc verba *initium* vel *sequentia*, se signat absque ulla sui conversione, ad nomen *Jesu* caput inclinat cruci, vel SS. Sacramento;

ad nomen verò *Mariæ*, vel Sanctorum quibus debetur inclinatio, versùs librum. Si evangelium exigat genuflexionem, illam exhibet conversus ad medium altaris.

IV. Finito evangelio, et incensato celebrante, ascendit et se constituit ad sinistram illius, eique indicat *Credo*, si sit cantandum; tum se parùm retrahit ad cornu evangelii, ut præbeat locum subdiacono accedenti: legit symbolum cum aliis, et facit quidquid alii infra illud faciunt.

Si sessio habeatur, sedet ad dextram diaconi. Quando diaconus surgit ad deferendam bursam, surgit simul et detegit caput, quod et repetit ad illius reditum. In festo annuntiationis, in tribus missis in Nativitate Domini et aureâ, dum cantatur *et incarnatus est*, etc, flectit duobus genibus in plano retrò post celebrantem, caputque profundè inclinat sub toto versu (1).

Post symbolum à choro absolutum, redeundo ad altare, flectit uno genu retrò post celebrantem, ascendit ad illius sinistram, et cantato *oremus*, ei monstrat offertorium. Ante incensationem, præviâ genuflexione, descendit extra gradus altaris et hæret in plano juxta cornu evangelii: dum celebrans est incensaturus planitiem altaris in cornu evangelii, præviâ genuflexione tollit missale cum cussino, et postquam illud reposuit super altare, iterùm renovatâ genuflexione descendit in planum presbyterii, donec celebrans post incensationem redeat ad medium.

(1) Dictis diebus flectendum est sub versu *et incarnatus est*, etc. in memoriam mysterii incarnationis, quod potissimum in illis celebratur.

Post chori thurificationem, aut si chorus non incensetur, immediatè post thurificationem celebrantis, assistens incensatur: unde si adhuc hæreat in plano ad cornu evangelii, diaconus, factâ in medio genuflexione, parùm procedit de medio versus assistentem, et sub debitis inclinationibus capitis antè et pòst, iisque mutuis, bis ipsum thurificat; redux autem ad medium, iterùm flectit, et progressus paululùm versùs cornu epistolæ incensat subdiaconum more solito.

Si assistens jam sit in altari à sinistris celebrantis, diaconus, factâ genuflexione coram altari simul cum assistente, stans parùm extra medium altaris ad cornu epistolæ eum thurificat ad se conversum, et renovatâ genuflexione ab utroque, diaconus incensat subdiaconum.

V. Assistens ad altare reversus stat constanter à sinistris celebrantis, quærens ei legenda et cantanda, inclinatque caput cum eodem infra secretas, præfationem et totum canonem. Ad *sanctus* paululùm se retrahit, ut subdiaconus possit se sistere ad sinistram celebrantis, et mediocriter inclinatus corpore, dicit submissâ voce *sanctus*, etc., seque in fine signat. Ad hæc verba *qui pridie quàm pateretur*, flectit in suo loco duobus genibus, donec absolutè sit peracta utraque consecratio, adoratque Sacramentum capitis demissione infra utriusque speciei elevationem, et se tandem erigit cum celebrante post calicis depositionem.

Diaconus infra canonem stat ad dextram celebrantis aliquantulùm post illum (1) in ipso al-

(1) Rub. de serv. in celebr. mis. tit. VII., n. 11.

taris scabello. Ad hæc verba *qui pridie*, accedit et flectit duobus genibus ad dexteram celebrantis prope altare, elevat casulam, discoöperit, et operit calicem, quando opus est. Circa finem canonis, ad hæc verba *per quem hæc omnia*, iterùm accedit et discoöperto calice, tunc solùm flectit cum celebrante: pariter infra orationem dominicam, hæret uti infra canonem; circa finem illius accedit, flectitque in ipso accessu, et acceptâ patenâ, fungitur suo officio.

VI. Ad *agnus Dei* assistens à sinistris subdiaconi, inclinato capite, dicit ter *agnus Dei*, tundens pectus, ut moris est. His absolutis, flectunt simul assistens et ministri; hi redeunt ad loca sua retrò post celebrantem; ille verò transit ad dexteram celebrantis, ubi statim flectit duobus genibus. Dum celebrans osculatur altare assistens erectus illud simul osculatur, manibus junctis ante pectus. Post pacem acceptam genuflectit et vadit illam daturus diacono; hic autem dat subdiacono; tum duo ministri flectunt simul in medio, et postea eunt ad latera celebrantis, diaconus ad sinistram et subdiaconus ad dextram. Interim presbyter assistens, factâ genuflexione, comitante acolytho procedit daturus pacem utrique choro. Reversus ad altare flectit uno genu in medio; erectus paulò extra medium ad cornu epistolæ, dat pacem acolytho suo comiti; hic autem alteri acolytho et thuriferario. Si non sit chorus ad quem pax feratur, assistens, datâ pace diacono, et factâ in medio genuflexione, ascendit ad sinistram celebrantis, sed ita ut maneat locus apertus pro subdiacono ad suam dextram.

Quando presbyter assistens non est cappâ indutus, non recipit pacem à celebrante, sed diaconus: manet ergo post *agnus Dei* ad sinistram celebrantis; et dum subdiaconus revertitur post pacem delatam ad utrumque chorum, flectit, et se vertens per suam sinistram descendit extra gradus altaris, recipitque pacem à subdiacono in plano presbyterii juxta cornu evangelii. Subdiaconus autem post genuflexionem in medio altaris dat pacem suo comiti acolytho, et hic aliis.

VII. Sub *Domine, non sum dignus*, se gerit ut diaconus, à cujus sinistris tunc hæret in altari.

Si distribuatur communio, descendit in planum juxta cornu evangelii, et stat ibi facie versâ ad celebrantem corpus Christi distribuentem. In primitiis tamen, et in missis quæ à dignitatibus celebrantur (1), assistens constitutus à sinistris celebrantis tenet patenam sub mento communicantium.

Quando celebrans sumit secundam purificationem, accipit librum, et dato signo discessus subdiacono, illum transfert ad cornu epistolæ, flectens in medio. Diaconus, discedente assistente, genuflectit in suo loco, et vadit retrò post celebrantem. Assistens constitutus prope librum, ministrat celebranti, prout infra orationes ante epistolam. Ad finem orationum claudit librum, nisi fortè sit legendum evangelium proprium; quo casu tolleret librum, et genuflexus inter diaconum et subdiaconum cum libro præ manibus, reciperet benedictionem, inclinato capite. Ibidem et

(1) Patenæ suppositio per sacerdotem cottâ indutum in communione generali, quæ per dignitatem agitur, licita est.
S. R. C. 15. Sept. 1667.

eodem modo recipit benedictionem, si librum non transportet; excepto quòd debeat se signare nihil dicens, infra benedictionem sacerdotis.

Sub ultimo evangelio idem servat, ac sub primo; ultrà tamen claudit librum in fine: tum transit ad dextram celebrantis absque genuflexione in medio; diaconus verò et subdiaconus se sistunt ad sinistram. Ante descensum flectunt simul assistens et ministri, quod et renovant post descensum è gradibus altaris ad illud conversi. Erectus assistens accipit birretum celebrantis et illi præsentat; deindè suo caput coöperit, et eo ordine quo venerat, redit ad sacristiam, id est, incedens à dextris diaconi, vel si sit tantùm superpelliceo indutus, post celebrantem. In sacristia exhibet primò cum aliis inclinationem capitis imagini, dein aliam celebranti, post quam se exiit, et in pace recedit.

APPENDIX

DE REQUISITIS

AD

SACRIFICII CELEBRATIONEM.

De altari.

1. ULTRA ecclesiam consecratam, vel saltem benedictam, aut oratorium ad celebrationem indulto apostolico vel episcopali privilegiatum, (1)

(1) Facultas celebrandi in oratoriis privatis multum est restricta; quippè in iis per diem unicam missam celebrare licet; jus hac super re est positivum: in indice enim *Merati* num. 435, stat sequens S. R. C. decretum: *Missæ plures non possunt celebrari in capellis privatis nobilium à sacerdotibus regularibus. 23. Feb. 1661.* Item, num. 579. *Regularibus, seu sacerdotibus quibuscumque, etiam episcopis in præfatis oratoriis celebrare non licet, ubi etiam unica missa, quæ in indulto conceditur celebrata fuerit; super quo celebraturus tenetur diligenter inquirere, et de eo se optimè informare... et in omnibus hujusmodi casibus personæ quæcumque dictas missas audientes nullatenus ecclesiæ præcepto satisfaciunt.* S. R. C. 15. Dec. 1703, approbante *Clem. XI*: hinc est etiam quòd in talibus facultatibus, quæ Romæ expediuntur, hæc restrictio expressis terminis ponatur *unam missam pro unoquoque die.* Duæ aliæ questiones hic proponi possent; et in primis an absentibus personis, in quarum gratiam indulta est facultas celebrandi in oratorio, missa ibi legi possit? Sed contrà facit privilegium afficere solas

requiritur altare lapideum (1) ab episcopo, vel alio legitimam habente potestatem consecratum (2).

Duplex distinguitur altare, scilicet fixum et portatile. Primum illud est, quod structuræ inferiori cemento vel alio nexu adhæret, ita ut unum totum faciat cum dicta structura. Portatile est simplex lapis consecratus, qui deponitur absque nexu super mensam altaris, quique consequenter

personas, in quarum gratiam concessum est; adeoque ipsis absentibus robur amittere. Deindè quæri potest, an diebus ferialibus liceat in oratorio celebrare? Ratio dubitandi est, quòd istis diebus nulla sit necessitas audiendi missam; adeoque privilegium ad illos dies non possit se extendere; nam sicuti privilegium ad sui valorem gravem requirit causam, ita et illius extensio; sed si hæc fieret ad dies non festivos, gravis causa non subesset, cum fundaretur tantum super devotione indiscreta particularium: ergò etc. Hæc dubia aliis defero strictius discutienda, monendo tamen eos, ut advertant oratoria privata esse quid valdè odiosum; adeoque privilegia ipsis concessa esse restringenda: quippe celebratio missæ in loco profano non tantum est contra honorem mysterio debitum, sed et favore oratorii ecclesia parochialis deseritur; domini pariter et famuli vivunt sine instructione, et non rarò in neglectu sordido salutis: hinc merito ait auctor tractatus celebrationis SS. mysteriorum præactas facultates, dum facilius quàm par est, conceduntur et multiplicantur, materiam fore terribilis iudicii, tum respectu eorum qui illas elargiuntur, tum respectu eorum qui illis utuntur. Hic etiam meretur adverti ex congreg. conc. sub data 12 Feb. 1679, approbante Inn. XI, absque legitima dispensatione in oratoriis privatis eucharistiam non esse conficiendam in communionem, nequidem dandam per modum viatici.

(1) Jussu S. *Sylvestri* Papæ anno 514, prout notat *Breviarium Rom.* sub illius festo. Aliqui tamen dubitant, an id tribui possit dicto Pontifici; eò quòd illius decreti nulla mentio videatur in antiquissimis auctoribus. Interim ex *Bona et Martene* constat etiam post ævum *Sylvestri* altaria modò fuisse lapidea, modò lignea, etiam argentea et aurea, prout circumstantiæ permittebant aut suadebant.

(2) Can. 18. de consecr. dist. 1. et conc. Agat. Can. 14.

transferri potest de loco in locum, ac modò in uno, modò in alio altari inservire.

Circa altare portatile duo veniunt observanda : 1.^o ut sufficientem habeat amplitudinem ad faciliè continendum patenam cum hostia et calicem ; et , si locari debeat in summo altari , necesse est ut insuper capere possit S. pyxidem , quando infra missam distribuitur communio , aut novæ species consecrantur. 2.^o Debet pari libellâ cum mensa altaris adaptari , seu ob periculum effundendi calicem , non debet excedere altitudinem mensæ. Scio hanc eminentiam lapidis consecrati ex industria procurari , ut celebrantes securiùs species sacras in illum deponant : sed huic provideri potest apponendo vittam seu chordulam rubri coloris supra mappam superiorem , quæ designet extremitatem et latitudinem lapidis consecrati.

Sequuntur jam casus , in quibus altare perdit suam consecrationem , et fit ineptum ad missæ celebrationem : 1.^o tam fixum quàm portatile fit execratum , quando ita frangitur , ut nulla pars apta remaneat ad continendum hostiam simul et calicem : 2.^o quando aperitur secretum reliquiarum ; nonnulli tamen in hoc secundo casu valdè probabiliter tenent contrarium ; sed probabilitas alterius sententiæ sufficit ad retinendum in praxi sacerdotem timoratum. 3.^o Altare fixum benedictionem suam amittit , quando lapis superior , quamvis intactus , separatur ab inferiori structura ; aliud est , si mediantibus instrumentis et vinculis structura et lapis simul absque separatione tollerentur. Tandem altare fixum (non portatile) , profanatur , dum ecclesia polluitur :

ratio disparitatis est ; quòd fixum sit pars ecclesiæ , utpotè fundo adhærens , non autem portatile.

De mappis seu tobaleis.

II. Altare debet coöperiri tribus mappis , quarum duæ inferiores tegunt superficiem mensæ , superior verò ultrà hinc et inde pendeat usque ad terram (1). Circa illas notanda supersunt sequentia : 1.º una duplicata , modò tegat mensam altaris , supplet pro duabus inferioribus. 2.º Inferiores possunt esse ex cannabe , modò telæ earum non sit crassæ admodùm texturæ ; verùm oportet , ut superior sit ex lino , aut saltem ex cannabe tenui. 3.º Tres debent esse dealbatae ; cinerei enim coloris non admittuntur in mensa honestorum profana ; adeoque nec admitti debent in mensa Deo consecrata. 4.º Requirit missale , loco citato , ut mundæ sint ; proindeque non sufficit mundities in superiore , sed et requiritur in inferioribus : hinc damnabilis est profectò negligentia eorum , qui inferiores mappas absque lotionè sinunt in altari putrescere. Quoties autem infra annum sint lavandæ ? Attento quòd altaria alia sint aliis humidiora , præcisè determinari nequit ; interim sequens regula arripi potest : quando sunt ita sordidæ , ut nollet quis talibus uti in mensa , lotionè indigent. 5.º Debent esse benedictæ (2) ; suam autem amittunt benedictionem , quando longiori usu sunt pluribus in locis pertusæ.

(1) Rub. gen. de præp. altaris , n. XX.

(2) Rubricæ gen. loco suprâ citato.

De pallio altaris.

III. Aliud altaris vestimentum est pallium seu antependium (1), quo pars mensæ illius anterior tegitur : hoc pallium debet esse coloris, quem exigit currens officium. Quando tamen pars anterior altaris constructa est ex argento, marmore, aut alio lapide pretioso, non est necesse, ut pallio tegatur (2). Porrò antependium est mutandum, ante vespas, quando dicuntur de sequenti, vel à capitulo de sequenti, festo exigente diversum colorem; aliàs post completorium.

De cruce altaris.

IV. Requiritur crux cum imagine crucifixi (3). Circa crucem sequentia veniunt observanda : 1.º debet esse adeò magna, ut visu percipiatur, non tantùm à celebrante, sed et ab omni populo sacrificio adstante; estque locanda in medio candelabrorum, non autem supra tabernaculum, ita saltem elevata, ut vix aut ne vix quidem à celebrante sub missa videri possit (4). 2.º Crux non est necessaria quando in altari reperitur statua crucifixi (5). 3.º Exposito SS. Sacramento

(1) Rub. gen. ibidem.

(2) Ita *Gavantus*.

(3) Cærem. episc. lib. 1, caput 12.

(4) Crux parva cum imagine crucifixi posita super tabernaculum, in quo asservatur SS. Sacramentum in altari, non est sufficiens, sed poni debet alia crux in medio candelabrorum. S. R. C. 16. Januarii 1665.

(5) In altari in quo adest magna statua crucifixi, non est necesse ut ponatur alia crux, dum missa celebratur. S. R. C. 16. Jun. 1665.

in locis, in quibus crux non solet apponi, usus retineri potest; ubi verò apponitur, consuetudo est retinenda (1). Porrò in hac diœcesi, crux communiter erigitur in altari infra expositionem SS. Sacramenti; proindèque, ubi talis consuetudo viget, ab illa non est recedendum; mereaturque hìc notari, quòd puerile omninò sit apponere parvam crucem ad pedem remonstrantiæ aut alibi, cùm enim non possit visu attingi à populo, illâ non satisfacit rubricæ; adeoque major est erigenda in loco eminenti, ut populus respicere queat in faciem Christi sui.

Ad eos, qui dicunt figuram dedecere in altari, quando adest figuratum, responderi potest, quòd Christus sit tantùm præsens in Sacramento oculis fidei; crux verò oculis corporis: cùm autem sub distractionibus humanis memoria passionis Christi non rarò faciliùs et efficacius ad mentem revocetur ex respectu crucis sensibilis, quàm ex ipsa hostia; ideo præsentè SS. Sacramento crux rectè locatur in altari. Præterea si

Idem censet *Merati* de icone seu imagine crucifixi in tabula altaris, modò crucifixus non sit ibi per accidens, sed primum locum teneat in dicta tabula, seu modò sit principale objectum imaginis. Ita etiam communiter auctores

(1) Etsi decretum hujus sacræ Congregationis de anno 1707 præcipiat quòd in altari, ubi est publicè expositum SS. Sacramentum, tempore sacrificii crux de more collocetur; non est tamen in viridi observantia, et patriarchales ecclesiæ urbis oppositum servant; supervacuam enim adjudicant imaginis exhibitionem, ubi prototypus adoratur, et hæc de causa instructio pro oratione quadraginta horarum. *Clem. XI, Bened. XIII et Clem. XII*, summ. Pontificum jussu edita sub silentio præterit, an locanda, an removenda sit hujusmodi crux, relinquens quemlibet in sua praxi. S. R. C. 2. Sept. 1741.

ratio allata aliquid concluderet, sequeretur post consecrationem crucem esse removendam, quod nemo dixit.

De lumine.

V. Requiritur lumen geminum ex cera productum. In missis cantatis et solemnibus plures possunt accendi; sed cavendum ab omni superstitione, quæ irrepere posset, si à certo cereorum numero aliquid expectaretur (1). Quantum ad missas privatas, nec pauciores nec plures quàm duo cerei ardere debent (2). Excipe tamen nisi solemnitas majorem exigit numerum, uti accidit, quando est expositum SS. Sacramentum. In missa et officio lugubri candelæ ex cera communi seu flavi coloris adhibentur; adeoque in officio de tempore adventûs, et quadragesimæ, quod celebratur in paramentis violaceis in signum pœnitentiæ. Pariter in officio, et missis defunctorum, quæ in paramentis nigris perficiuntur, eædem, seu coloris flavi, sunt adhibendæ. In festis verò, et maximè in solemnitatibus, in signum lætitiæ, cerei albi coloris, quoad fieri potest, accendi debent. Festivitatibus annumerari possunt dominica tertia adventûs, et quarta quadragesimæ, quæ cum specie exultationis celebrantur.

(1) Candelarum certum numerum, qui magis à supersticioso cultu, quàm à vera religione inventus est, omninò ab ecclesia removeant episcopi. Trid. Sess. 22. in decreto de observandis.

(2) Ad missam vicarii generalis non debent accendi quatuor candelæ in altari. S. R. C. 7. Aug. 1617. Hoc decretum extractum est è *Gavanto*.

De missali.

VI. Requiritur missale; idque sub gravi, juxta communem doctorum sententiam; quia semper adest periculum, ne in re tam seria memoria deficiat. Missale autem debet esse conforme breviario; adeoque sequens ritum Romanum, missam legere tenetur, non in alio, sed in Romano; pariter religiosi et alii, quoad fieri potest, si breviarium speciale habeant, missale respondeat eorum ritui necesse est.

Dixi *quoad fieri potest*: quia in itinere celebrans, licet ex sola devotione, missam legere potest in missali proprio diœcesis, per quam transit, vel domûs religiosæ, in qua celebrat; sed notandum quòd utens missali proprio alicujus ordinis, debeat legere missam, servando cœremonias missalis suo officio respondentis; adeoque legens breviarium Romanum, et celebrans apud Carthusianos vel Dominicanos, aut Carmelitas, etc., quamvis eorum missali proprio utatur, non potest eorundem ritus sequi in celebratione, sed Romanos. Aliud est, si celebraret cum missali proprio alicujus diœcesis; negligens enim Romanas cœremonias, ad majorem uniformitatem posset se conformare ritibus loci (1): porrò ratio disparitatis est, quòd ritus proprii quorundam ordinum sint privilegia personalia, quæ solum afficiunt membra istarum congregationum. E contra ritus proprii alicujus diœcesis sunt quodammodò locales, quibus absque scrupulo potest unusquisque se conformare.

(1) *Quarti*, P. I, tit. 14, dubio 2.

Ultra missale adesse debent in altari tabulæ, in quibus descripta sint ea, quæ sacerdos è missali ita commodè legere nequit, sed absque his celebrare leve vel etiam nullum, subsistente aliquâ ratione, foret peccatum.

De calice et illius ornamentis.

VII. Requiritur calix aureus, vel argenteus, aut saltem qui habeat cuppam argenteam intùs deauratam (1); pariter et patena (2) ejusdem materiæ, cujus pars saltem concava sit inaurata. In casu maximæ paupertatis calix etiam ex stanno assumi potest ad celebrationem (3); sed multiplicato jam nimis argento, sub cujus pondere gemunt mensæ divitum, vix aut ne vix quidem, saltem in his partibus, talis paupertas locum invenire potest. Inauratio calicum argenteorum majorem meretur attentionem, cùm sit à rubricis præscripta: undè ii, ad quos spectat eorum consecratio, quando calices ad mentem missalis non sunt inaurati, constanter deberent ministerium suum denegare; hoc facili simul et efficaci medio omnia in ordine fierent: equidem non rarò in præjudicium hujus dispositionis allegatur ecclesiæ paupertas; sed si res intrà terminos absolutæ necessitatis teneretur, necessitas industria sibi pro-

(1) Circa materiam calicis, pulchrum habet verbum conc. Tribur. [anno] 895, cap. 18. Juvat hic illud referre: *Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc è contrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus.*

(2) Olim erat discus, super quem oblationes populi recipiebantur.

(3) Conc. Tribur. C. 18. et Rhemense cap. 6.

videret; nec puto quòd aliqua ecclesia defectu calicis inaurati sacrificio careret.

Deindè ut calix sit aptus sacrificio, debet esse ab episcopo consecratus; idem dic de patena: habent nonnulli abbates hanc eandem facultatem calices benedicendi, sed pro usu tantum suarum respectivè ecclesiarum (1): hinc pastores vicini, seu alii non possunt calices in sui usum consecrandi causà ad eos accedere; quamvis tamen peccent et illos consecrans, et requirens à talibus consecrationem; putamus ipsam valere: quia præcisè actus est ordinis sacerdotalis.

Sequuntur jam casus, in quibus calix perdit suam consecrationem: 1.º eam perdit per fracturam, quâ redditur ineptus ad celebrationem, seu quâ non nisi indecenter sacrificio servire potest. 2.º Si in fundo fiat foramen quantumvis exiguum. 3.º Si cuppa violenter à pede separatur, aliud est dum cuppa mediantibus scalis annulariis est annexa pedi, tunc enim sine execratione calicis unum ab alio separatur. Major est difficultas, an calix per novam deurationem perdat suam benedictionem? Praxis sat communis habet, ut denuò benedicatur, et ei suffragantur nonnulli auctores; sed quo fundamento non videtur: si enim ecclesia per novam dealbationem non profanetur, quare calix transiens per ignem intactus et leve induens vestimentum profanaretur? Nonne jam reparatus est idem, ac ante, quoad formam, substantiam, et usum: porrò regula est quòd

(1) Prælati episcopis inferiores ecclesiasticam suppellectilem pro servitio dumtaxat suarum ecclesiarum vel monasteriorum benedicere valent. S. R. C. 27. Sept. 1659.

res consecrata tamdiu consecrationem retineat, quamdiu integra permanet : proindeque concludendum calicem in casu præsentis non indigere novâ consecratione.

Quantum ad vestimenta calicis : 1.º requiritur purificatorium lineum seu cannabæum, modò tela hujus secundæ materiæ sit tenuis ; ut autem purificatorium à manutergio secernatur, hoc acu pingi debet circa extremitatem in uno angulo, illud verò in medio. Purificatorii benedictio nullibi præscribitur, nec in missali formam benedictionis habet ; interim cum purificatorium proximius attingat sacra mysteria quàm mappæ, quæ tamen sunt benedicendæ, communis est sensus, quòd ex decentia saltem sit benedicendum unà cum mappis : quòd si seorsim benedicatur, in forma benedictionis mapparum, mutandum est verbum *altare* in *calix* (1).

2.º Pallæ antiquitùs nulla mentio ; tunc enim vices illius supplebat corporale oblongum, cujus pars posterior supra calicem post offertorium recolligebatur, quæ praxis in sancto Carthusianorum ordine hodieum viget : verum ad majorem celebrantis commoditatem, jam adinventæ est palla ad tegendum ostium calicis ; palla autem est carta firma et quadrata, longitudine circiter unius palmi, ac texta undique telâ ex lino tenui (2) : undè errant, qui partem pallæ superiorem tegunt panno serico vel inaurato, etc. Palla debet præviè ad usum benedici, et qui-

(1) Ita *Merati*.

(2) S. R. C. 22. Jan. 1701.


dem formâ, quâ benedicatur corporale, cujus vices supplet.

3.^o Requiritur velum, quò calix et suprâ relata operiuntur : porrò hæc vestis, ordinante rubricâ, (N. B.) debet esse serica; ad hanc rubricæ dispositionem non satis attendunt sacristæ, et alii quibus cura sacræ suppellectilis incumbit; ordinariè enim velum conficitur ex eodem panno ac casula; hoc equidem benè est, quando casula est serica; sed dum conficitur ex panno crassiore, velum concordare nequit cum materia illius, sed tantùm in colore. Hoc calicis ornamentum et bursa, de qua mox, benedicuntur unà cum paramentis sacerdotalibus.

4.^o Requiritur bursa cum corporali : circa materiam bursæ, quamvis missale nihil determinet, tamen cùm ad ornamentum calicis pertineat, videtur confici debere ex eadem materia ac velum, id est, ex panno serico; ejusdemque coloris. Pariter convenit ut pars bursæ interior tegatur panno ejusdem materiæ, -sed simplicis et uniformis coloris, qui potest esse diversus à colore ipsius bursæ. Quantum ad corporale, debet esse ex tela tenui ac linea (1); ad illius ornamentum in eo apponi nequit aurum, argentum aut sericum; circumduci tamen possunt illius extremitates denticulato texto ex

(1) Corporale ex lino tantùm esse debet, nec serico vel auro in medio intextum; sed totum album, et ab episcopo, vel alio habente facultatem simul cum palla benedictum. Rub. de rit. serv. in celebr. tit. 1. Ulteriùs congruit, ut habeat amplitudinem trium quartarum unius ulnæ, ad minimùm : vide hujus rationem, P. 2. art. VI. num. IV.

lino tenuissimo ; id enim habet usus , et nullibi prohibetur. Insuper corporale debet benedici , antequam in altari seruiat. Modus plicandi corporale cernitur in tabula hic adjuncta , ubi lineæ plicaturas illius denotant ;



Tandem quamvis in nonnullis locis aqua in calicem infundatur ex ipsa ampulla , tamen usus generalis in his partibus habet , ut hæc infusio fiat cum cochleari parvo aureo , vel argenteo ; hujus instrumenti , nec benedictionis præceptum , nec forma inveniuntur ; cùm tamen accidere possit , ut musca , aranea , vel quid aliud cadat in calicem , cochleari extrahendum ; hinc convenit , ut benedictione sanctificetur : hoc autem fieri posset

formulâ benedictionis vasculi seu pyxididis pro sacrosancta eucharistia conservanda mutatis mutandis ut sequitur : *Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur, ut instrumentum hoc ad tuum sacrum ministerium fabricatum, etc.*

Superest dicendum calicem et patenam, immediatè post eorum consecrationem, licitè tangi non posse, nisi ab iis qui sunt in majoribus ordinibus constituti; idque propter unctionem chrismatis. Idem dicendum de purificatorio et corporali, sed tantùm pro tempore, quo altari inservierunt, et donec primùm lota fuerint; hinc, antequam laïcis dimittantur lavanda, priùs à persona in sacris constituta lavari debent, et aqua hujus primæ lotionis in sacrarium est effundenda.

Tanta est cognatio inter calicem et ciborium, lunulamque remonstrantiæ, ut verbum de iis videatur hic addendum: hæc igitur duo benedici debent præviè ad usum; eorum autem benedictio fieri potest ab eo, qui habet facultatem benedicendi vestimenta sacerdotalia; eò quòd in hac benedictione non intret unctio chrismatis, et in dicta facultate ordinariè tantùm reserventur benedictiones cum S. oleo; ciborium et lunula ut servierunt, à laïcis ampliùs tangi non possunt.

Quantùm ad remonstrantiam, nullibi benedictio illius præscribitur: laudabiliter tamen benedici potest eâdem formulâ, quâ benedicitur ciborium; et cùm ex ipsa lunula possint in eam decidere particulæ consecratæ, multùm convenit, ut laïci ab illius tactu abstineant.

De paramentis sacris.

VII. Amictus nomen trahit à verbo *amicire*, seu coöperire. Fuit introductus juxta communem sententiam sæculo VIII ad tegendum collum eorum, qui in altari ministrabant, quod eò magis decebat, quo omnes, tum clerici, tum laïci nudo collo incederent. Hæc vestis olim post albam induebatur, uti innuit ordo Romanus, et hic usus, juxta *Catalanum* (1), viguit usque ad sæculum XI; jamque viget teste *Martene* in ecclesia Mediolanensi et Lugdunensi. Ast à multis sæculis ritu Romano amictus induitur primo loco commoditatis causâ; faciliùs enim collo et humeris adaptatur, quàm sumptâ jam albâ. Olim etiam amictu totum caput operiebatur, ut ministri ad altare procederent quasi galeâ muniti contra diabolicos incursus, prout insinuat oratio huic vesti respondens: hunc ritum retinuerunt plures religiosi, qui caputium amictu involutum à capite solùm deprimunt missam exorsuri; ast moderna missalis Romani rubrica habet equidem, ut summens amictum capiti illum imponat, sed simul præscribit, ut mox illum ad humeros demittat. Amictus ex pontificali Romano, de ordinatione subdiaconi, etiam considerari debet ut frænum, quo lingua deinceps ab omni locutione profana cohiberi debet; sic enim in illo legitur: *Accipe amictum per quem designatur castigatio vocis.* Est autem amictus vestis linea, habens in medio inter chordulas crucem depictam: id quippè sup-

(1) Tom. 1. Prologom. in pontif. Rom. cap. 9.

ponunt rubricæ, quando sacerdoti illam sibi imposituro præscribunt ut osculetur in medio, ubi est crux.

Alba est vestimentum antiqui sacerdotii, quæ *poderis* in scriptura dicitur, eò quòd descendat ad pedes, quos Græci *podas* vocant. Eâdem ratione apud Latinos *talaris* nuncupatur à talo pedis quòd pertingit. In nonnullis auctoribus nominatur *camisia*, *camisius*, et *camisile* à similitudine cum materia et forma vestis illius lineæ, quâ corpus immediatè tegitur; ast communissimè *alba* vocatur ab illius colore. Hanc vestem primis Ecclesiæ sæculis communem fuisse clericis et laïcis constat ex *Flavio Vopiscus*, qui floruit sub initio sæculi IV, et qui in vita *Aureliani* (1) refert hunc Imperatorem *camisias* populo Romano distribuisse. Verùm docet *S. Hieronymus* (2) hanc vestem fuisse formæ strictioris; juvat illius verba referre: Hæc, inquit, *adhæret corpori, et tam arcta est strictis manicis, ut nulla omninò in veste sit ruga, et usque ad crura descendat.* Rationem hujus vestis reddit addendo: *ut expediti sint, vel ad cursum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum, ense vibrare, et quocumque necessitas traxerit.* Aliam tamen vestem sericam, vel alterius materiæ extra actus publicos superinduisse *camisias* tradit *S. Isidorus* (3). Clericos, ab exordio Ecclesiæ albâ usos fuisse evincitur testimonio *Egypti* vicini temporibus apostolorum (4), quo dis-

(1) Paginâ 225.

(2) Epist. 128. ad *Fabiolam*.

(3) Lib. 19. cap. 52.

(4) Hoc testimonium exstat apud *Eusebium Cæsareensem*, lib. 7. *Histor. eccles.* cap. 17.

cimus *S. Jacobum* apostolum, cognomento fratrem Domini, lineâ tunicâ talari indutum sacris olim fuisse operatum. Imò in Africa episcopi et sacerdotes hanc vestem extra actum ministerii deferebant, prout clarè insinuat conc. Carthag. 4. sub anno 378 (1), dum prohibet diaconis et inferioribus ministris, ne extra ecclesiam eâ utantur. In Italia verò et Galliis, non tantùm sacerdotes, sed et clerici inferiores usque in sæculum IX in vita civili albâ tegebantur; hunc usum testantur Leo IV (2), statuta, seu capitularia *Reculphi* episcopi Suessionensis (3), et *Reginon* sub fine sæculi IX (4). Ad facilitandum autem hujus vestis usum, quidam eam resecârunt ad formam rocheti, quo nonnulli canonici regulares hodièdum in vita civili utuntur. Alii verò in locis frigidioribus juxta *Bocquillot* (5), ut vestibus pelliceis adaptare possent, corpus et manicas hujus vestis ampliârunt, indèque superpelliceum dictum est. Alba, prout de illa hic agitur, est vestis linea, quæ tantam habet longitudinem, ut à collo ad pedes defluat. Rubricæ, quamvis nullam ornamentum illius mentionem faciant, tamen usu generali constat extremitates denticulato lineo circumduci posse. Hæc vestis ratione albedinis habetur ut symbolum innocentiae, quacum sacerdotes et ministri in sacris functionibus stare tenentur: undè etiam Sancti in cœlis habitantes in sacris paginis nobis repræsentantur amicti

(1) C. 41.

(2) Homiliâ de Cura Pastoralis.

(3) Cap. 7.

(4) De Vita et Convers. Cler. cap. 66.

(5) De missa. lib. 1. cap. 7.

vestimentis albis in signum puritatis eorum. Huic significationi concordat oratio, quam fundimus albam induentes: *dealba me, Domine, et munda cor meum*, etc.

Cingulum est appendix quædam ad vestem præcedentem, semperque togas oblongas comitatur, ut cingulo compressæ et retractæ incessum et alias operationes liberiores faciant; ideòque alba cingulo circumducitur, ut non nimium diffluens circa corpus et versùs terram, corpori decenter adaptetur, et à terra sufficienter elevetur. Olim cingulum ex materia pretiosa conficiebatur: inter ornamenta *Bonifacii VIII*, qui regnavit circa finem sæculi XIII, cingulum repertum est ex serico rubro et viridi pulchrè intertextum cum suis chordulis sericis antè pendentibus, suisque globulis et floccis. Juxta præsentem Ecclesiæ usum potest esse lineum vel sericum, ac ejusdem coloris ac paramenta (1). Cingulum mysticè consideratum habetur ut signum castitatis juxta illud Luc. 12.: *Sint lumbi vestri præcincti*. Undè nos cingentes, donum continentiae requirimus dicentes: *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis*.

Manipulus olim fuit sudarium, seu mantile, quod supra manum sacerdotes et ministri deferrebant: ita omnia antiquitatis monumenta; indeque hæc vestis nomen manipuli sortita est,

(1) Sacerdotes in sacrificio missæ congruentiùs utuntur cingulo lineo, quàm serico. S. R. C. 22. Januar. 1701. *Et alio decreto declaratur*: cingulum tertium indumentum sacerdotale potest esse coloris paramentorum. S. R. C. 8. Jun. 1709.

nempè à manu, quâ portabatur: porrò rationem sudarii retinuisse videtur usque ad sæculum X; de illo quippè ut tali loquuntur *Stephanus* episcopus Augustodunensis (1), et *Alcuinus* (2); ast sæculo XII *Honoratus* presbyter Augustodunensis loquitur de usu sudarii tanquam reformati quoad finem suum: *Sacerdos*, inquit (3), *fanonem in sinistrum brachium ponit, qui et mappula et sudarium vocatur, per quod olim sudor et narium sordes extergebantur.* Quibus verbis significat usum sudarii adhuc viguisse, sed quâ ornamenti præcisè. Quomodò autem formam nostri manipuli acceperit? Sic rem evenisse autumat *Bocquillot*: sudarium primò fimbriis pretiosis fuit circumductum; deindè cùm fluens è brachio sinistro ministros gravaret, suppresso sudario, retentæ sunt ex illo solæ fimbriæ, seu fasciæ pretiosæ, quæ in duo plicatæ et ad brachii aptitudinem consutæ manipulum nostrum composuerunt. In parte superiore secundum rubricam crux pingitur, ut ministri hanc vestem osculantes in ea inveniunt objectum suæ venerationis. Quando vestis præsens sudarium erat, rationem naturalem suæ institutionis præ se ferebat; indeque quasi sponte alia spiritualis nascebatur, sub qua sudarium habebatur ut signum lletûs et doloris, quibus præsens vita affligitur, quam rationem Ecclesia retinuit in manipulo,

(1) Libro de sacram. altaris cap. 10. Quidam dictum *Stephanum* auctorem sæculi X, alii verò XII tantum faciunt: sed cùm sæculo XII desiisset finis sudarii, sic ut esset tunc temporis purum ornamentum, credendum est prius vixisse.

(2) De offic. eccles. cap. 59.

(3) Gem. An. lib. 1. cap. 108.

licèt jam sit purum ornamentum : undè ponit in ore nostro , dum hanc vestem accipimus : *Merear , Domine , portare manipulum fletùs et doloris , ut cum exultatione recipiam mercedem laboris , quæ oratio alludit ad hæc verba psalmi 125 : Euntes ibant et flebant mittentes semina sua , venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Stola tum in auctoribus profanis , tum in sacris Scripturis sumitur pro veste oblonga , et totum corpus ambiente : hoc sensu dicitur , post Christi resurrectionem ad monumentum ejus juvenem coöpertum stolâ candidâ , id est , veste apparuisse : undè *Bocquillot* præsumit stolam in usum sacri ministerii primitùs vestem fuisse ex lino tenui , quo totum corpus operiebatur ; erat tamen juxta ipsum ante pectus aperta , et fimbriis aureis , vel alterius materiæ pretiosæ in extremitatibus suis ornata , è quibus stola moderna fuit confecta , uti dictum est de manipulo. Verùm communis sententia (1) habet fuisse linteum tenue , quo collum ita circumdabatur , ut extremitates hinc et indè ante pectus fluèrent ad abstergendum os et vultum. Usus hujus linteï durasse videtur per octo prima Ecclesiæ sæcula , sed tandem circumdato fimbriis pretiosis , et indè non ampliùs inserviente fine suo primario , illi accidit quod manipulo , nempè rejecto linteo , solæ extremitates fuerunt reservatæ , quibus formata est stola , prout nunc gestatur. In auctoribus stola modò *subtile* dicitur à tenuitate telæ , quâ olim conficiebatur ,

(1) Illam tenet *Lebrun* ex *Casaubon* , *Saumaise* , *Vopiscus* , *Morin* et *Thomassin* , quos citat tract. prælim. sacrif. de stola.

modò *orarium* ab ore, quod linteo illo abstergebatur, et verosimiliùs ab ora, seu extremitate lintei, quâ, ut mox diximus, stola fuit confecta: porrò stola idem significat ac vestimentum longum, et à sui longitudine hæc vestis nomen *stolæ* accepisse videtur. Hæc inter vestes sacerdotales principalior habetur; ideòque sine illa non licet Ecclesiæ ministris ingredi tabernaculum Dei viventis, seu tangere vasa Christi corpus continentia, adhibeturque sub omnibus functionibus sacerdotalibus, ad ministranda sacramenta, ad prædicandum verbum Dei, ad faciendas rerum variarum benedictiones, etc. Olim episcopi et sacerdotes continuò illam ferebant, et statutum erat in concilio Triburiensi, ut sacerdos occisus, et sine stola repertus, quasi laicus haberetur: undè et in tali casu homicida minùs severè puniebatur; sed tandem sacerdotes primi, deindè etiam episcopi hanc vestem extra actum ministerii neglexerunt, solusque jam Pontifex Romanus illam sibi retinuit. Quoad diaconos, à die suæ ordinationis per annum detulisse liquet ex vita *S. Mauri* abbatis, qui labente sæculo VI florebat, quique claudum et mutum curaturus, stolam, quacum eodem anno, jubente magistro suo, ordinatus fuerat, de collo suo protulit et super caput infirmi signum crucis faciens posuit. Stola est jam purum ornamentum, quo indicatur dignitas et potestas episcoporum, sacerdotum, et diaconorum; et ut una ab aliis secernatur, episcopi ferunt stolam ante pectus pendentem, sacerdotes ante pectus in forma crucis, et diaconi ab humero sinistro ad latus dextrum versantem: si autem symbolicè spectetur, significat statum immortalitatis; quo sensu su-

mitur Apocalypsis 6. γ . 11. ubi dicitur : *et datae sunt illis, nempe Sanctis seu animabus interfectis propter verbum Dei, singulae stolae albae, id est juxta interpretes, gloriae immortalis vestimenta. Eodem sensu cantamus in officio confessoris, stolam gloriae induit eum. Hinc etiam stolam induentes oramus, redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, etc. In medio hujus vestis crux apponitur, ibique est osculanda ante et post sacrum ministerium; hoc autem osculum praebetur, tum in venerationem signi crucis, tum etiam sacrae illius vestis.*

Casula seu planeta primis Ecclesiae saeculis vestis erat communis laicis pariter et clericis: unde hi, non tantum in actibus sacri ministerii, sed et extra, hac veste utebantur: sed quamvis vestes sacrae et profanae ejusdem forent formae, tamen ad decorem sacrarum functionum, quae pertinebant ad altare, erant pretiosiores pro majori vel minori facultate fidelium. Usus casulae juxta Lebrun et alios respectu laicorum duravit in saeculum VII, sed clerici civiliter illam adhuc deferebant saeculo VIII: capitularia quippe anni 742 praecipiant presbyteris et diaconis, ut illam deferant: porro casula tunc temporis prorsus rotunda erat, totumque corpus ampiebat a collo usque ad pedes, ac in medio unicum habebat aperturam, qua caput immittebatur: quare sub sacro ministerio necesse erat ut revolveretur ad brachiorum libertatem; idque a ministris fiebat, et inde mos, ut iidem ministri infra sacrificium solemne casulam elevent. Hujus antiquae formae casulis Graeci nunc utuntur, et quae sunt episcoporum multis crucibus insigniuntur; quae vero presby-

terorum unâ tantùm cruce. Ast Latini pro majori commoditate, partes laterales hujus vestis paulatim resecârunt, donec tandem ad formam modernam pervenerit (1), quâ casula præcisè constat ex duabus partibus, quæ anteriùs et posteriùs tegunt corpus à collo ad genua. Juxta auct. imit. J. C. 500 abhinc annis circiter, in Germania casulæ ferebant crucem in parte sui posteriore et anteriore (2). In Italia, teste *Lebrun* (3), crux tantùm cernitur in anteriore, apud quosdam Carmelitas nulla crux in tota casula. Ubique jam communiter in Germania, Galliis et alibi, casulis crux impressa videtur in parte tantùm posteriore. Casula communiter habetur ut symbolum charitatis, quæ omnia tegit, nempè mala proximi, et quæ ad minùs duo requirit, ut stare possit, quæ casulâ optimè exprimuntur, quatenùs corpus et alias vestes coöperit, et ex duabus partibus constat; cum hac significatione etiam concordat hujus vestis oratio: *Domine, qui dixisti: jugum meum suave est, et onus meum leve*, etc. Undè enim jugum Domini leve? nisi charitate, quæ omnia legis præcepta observatu facilia reddit. Hæc vestis dicitur *casula*, seu parva casa; quia ad instar parvæ domûs totum

(1) Parisiis in ecclesia nostræ Dominæ, *S. Dionisii*, *S. Martini* de Campis, et Carthusianorum inveniuntur casulæ magnæ, et antiquæ formæ, quæ ceduntur ad sacrificandum iis, qui non dedignantur harum vestium incommoda sustinere. In cathedrali Metensis ecclesiæ in adventu et quadragesima, tales etiam adhibentur, prout in aliquibus aliis ecclesiis, tum Galliæ, tum Belgii, de quibus *Lebrun* tract. prælim. sacrificii.

(2) Lib. IV. cap. 5.

(3) Tractatu prælim. de sacrif. art. 4. §. I. verbo *casula*.

corpus olim ambiebat; vel *planeta*, seu errans, quia etiam olim hæc vestis erat versatilis circa corpus, cui non adhærebat, immisso enim in illam capite, poterat verti ad nutum illius qui eâ tegebatur.

Casulæ, quoad fieri potest, debent confici ex pannis pretiosis, nempe aureis, vel argenteis, aut sericis; dum autem deest ad hoc facultas, saltem ex panno tenui, et quo plebeii communiter non utuntur. Hæc nobis et auctoribus dictat ipsa ratio sacrificii: et profectò turpe est quotidie in altari videre sacerdotes sub casulis ex panno vilissimo, quo ad se tegendum non uteretur persona tantillum honesta, et in quibus, parcimonie causâ, quatuor colores sunt ita permixti et confusi, ut ex vestium usu distingui nequeat officiorum et missarum varietas. Utinam super hac indecentia reflecterent ii, qui se impingunt decimationibus Sion, aut qui alio titulo vestes sacras ecclesiis suppeditare tenentur; fortè zelus domûs Dei inde in iis accensus, eos tandem adduceret ad portum religiosæ liberalitatis et debitæ munificentie.

Dalmatica, sic dicta à Dalmacia Græciæ provincia; ubi incolæ vestibus ejus formæ induebantur (1), est jam vestis communis episcopis, diaconis et subdiaconis: episcopi quippè subtus casulam induunt tunicellam et dalmaticam. Tunicella olim erat vestis propria subdiacono, quæ à dalmatica differebat ratione formæ, quæ erat strictior et angustior: verùm ad majorem uniformitatem ad formam dalmaticæ nunc est

(1) *Isidorus* lib. 19. originum cap. 22.

perducta. Tempore *S. Gregorii Magni*, id est circa finem sæculi VI., dalmatica necdum erat communis, nec episcopis, nec aliis extra ecclesiam Romanam, prout constat ex indulto ejusdem *S. Gregorii*, quo cuidam Galliarum episcopo, et illius archidiacono, fecit licentiam deferendi dalmaticam (1): hoc autem jus indè alii sibi vindicârunt, ita ut ævo *Caroli Magni* usus dalmaticæ generaliter in Galliis vigeret, sic ut simplices sacerdotes ad normam episcoporum subtùs casulam eam deferrent (2). Sed hunc usum uti spontè introduxerant, spontè dimiserunt. Dalmatica primitùs erat, et nunc est vestis solemnitatis et lætitiæ; erat quippè albi coloris, interjectis in illa virgulis coccineis (3), et hiuc est, quòd in quadragesima et aliis diebus pœnitentiæ diaconus et subdiaconus non assumant dalmaticam, sed ministrent in albis, aut saltem induant casulam antepectus plicatam, prout olim practicabatur, dum vestis hæc erat amplior. Equidem nulla ratio jam militat ut plicetur, cùm sit ita brevis ut non obstet motibus ministrorum, sed saltem id fit ad conservandum antiquitatis vestigium. Interim diaconus et subdiaconus cantaturi respectivè evangelium et epistolam, si utantur casulâ, tenentur eam deponere, ut hoc facto profiteantur illam non esse vestem sibi propriam. Dalmatica eandem habet

(1) *Avigio* Est. de Galliis epist. 112. L. 7.

(2) *Walafridus Strabo* de reb. eccles. cap. 24, ubi ait: *Et nonnulli presbyterorum sibi licere existimant, ut sub casula, dalmaticâ vestiantur.*

(3) *Isidorus*, lib. 19. orig. cap. 22. et rem. auctor expositionis missæ.

significationem spiritualem, ac casula, de qua supra.

Tandem ultima vestis est birretum seu pileum quadratum; circa quod tria veniunt observanda: 1.^o debet esse coloris omninò nigri, saltem exterius. 2.^o Vi hujus rubricæ *capite coöperto accedit*, scilicet celebrans, *ad altare*, tenetur quilibet sacerdos tendens ad altare, et ab eo rediens, caput birreto tegere: optandum foret ut ad hoc adverterent multi in præsentì puncto deficientes, ut autem nemini subsit excusatio contra hanc rubricam, in omni sacristia benè ordinata quædam adesse debent birreta parata in gratiam sacerdotum ibi celebrantium. 3.^o Birretum ita locari debet in capite, ut unum ipsius corniculum medio frontis respondeat; et dum in caput imponitur, vel ex eo tollitur, apprehendendum est inter pollicem et indicem dexteræ per corniculum lateris dextri.

Paramenta hæc sacerdotalia, si excipiatur birretum, antequam usui deputentur, debent esse benedicta, assumique à simplicibus sacerdotibus et prælatis episcopo inferioribus in sacristia (1). Quòd si desit sacristia, aut alius locus inductioni sacerdotum destinatus, in illo casu vestes sacræ

(1) In missis privatis quoad indumenta, cæremonias, ministros, altaris ornatum, et benedictionis largitionem, à simplici sacerdote prælati inferiores discrepare non debent, ac proindè sacras vestes induere debent in sacristia; neque uti possunt cruce pectorali: unico tantùm contenti sint ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrare minimè facere possunt, duasque tantùm candelas super altare adhibere valent. S. R. C. 27. Sept. 1659. In decreto generali coram Alex. VII.

sunt assumendæ in cornu evangelii , et non in medio altaris (1).

De iis , ad quos spectat benedictio sacrarum vestium , et reliquis ad præsentem materiam pertinentibus.

VIII. Episcopus non tantum habet jus benedicendi sacras vestes , sed et illud communicare potest cuilibet sacerdoti prout voluerit, id est, vel in perpetuum et pro tota diœcesi, vel ad tempus et pro uno tantum districtu. Eandem habent nonnulli superiores regularium , sed quod satis notari nequit, hæc potestas restricta est ad paramenta ecclesiarum sibi respectivè subditarum (2).

Sed quid si vestes non benedictæ usui applicentur, an per usum fiunt benedictæ? alii probabiliter affirmant, alii non minus plausibiliter negant, horumque sententia videtur in praxi tenenda. Dicendum ergò quòd equidem vasa sacra et vestes per usum sanctificentur, cum per illum è statu profano ad sacrum transeant; sed hæc sanctificatio non est sufficiens juxta mentem Ecclesiæ; quippè quæ instituit et requirit ad eam certas orationes, signa crucis, aspersionem, etc. sine quibus res dici nequit benedicta ad illius mentem.

Quoad profanationem vestium sacrarum: imprimis profanantur, quando sive per accidens, sive ex industria ad earum reparationem pars alicujus vestis separatur à parte ejusdem; ita ut,

(1) *Dumoulin* de cær. M. priv. art. I., n. 8, et alii.

(2) Abbates et alii prælati regulares non possunt benedicere paramenta ecclesiarum non sibi subditarum. S. R. C. 24. Aug. 1609. In ind. *Merati* sub. n. 100.

stante hâc separatione , licèt per brevissimum tempus , vestis non posset usui suo servire : hinc 1.º si manica separetur ab alba , licèt mox eidem jungatur , perdit suam benedictionem , et consequenter præviè ad usum est denuò benedicenda. 2.º Si cingulum in tot partes dividatur , ut nulla seorsim corpus cingere possit , profanatum est ; adeòque frustrà partes illius nodis unirentur , per hoc suam non recuperaret benedictionem. 3.º Casula profanatur , dum pars anterior à posteriore disjungitur , vel dum pars notabilis ex illa resecatur , ad aliam substituendam. Ex his casibus judicari potest de aliis.

Deindè vestes sacræ profanantur , dum sunt ita laceræ et usu tritæ , ut præ se ferant aliquid inconcinni ; ad quod non est necesse , ut vestes sint omninò pertusæ , et pars parti non ampliùs adhæreat ; profectò ad earum profanationem minor sufficit alteratio , sed quæ sit , morali judicio expendenda : dum autem vestes sacræ usu nimio ampliùs servire nequeunt , ad usum profanum non sunt convertendæ , sed incendio consumendæ. Quòd si ex illis vestes minores conficiantur , v. g. ex alba veteri corporalia , hæc indigent novâ benedictione , ut attendenti patet.

Verbum circa munditiem sacræ suppellectilis et linteorum altaris hoc opus concludet : frustrà hîc vellem hujus munditiei necessitatem stabilire ; nemo est qui eam non agnoscat ; sed non omnes ideò illam nutriunt in suis respectivè ecclesiis ; tamen dum immundities multa est , v. g. dum vasa sacra præ ærugine , et vestes præ sordibus quasi nauseam provocant , communi auctorum sensu , materia est negligentiae mortalis , à qua vix

excusare potest paupertas ecclesiarum, sub cujus pallio multi se excusare conantur; nam imprimis quoad vasa sacra ex argento, facilè et levi pretio mundari possunt à sordibus; parùm cretæ et vini adusti sufficit ad nitorem ipsis reddendum. Quoad lintea: si ad eorum lotionem quædam expensæ sint faciendæ, advertendum est quòd lintea multùm sordida paucis dealbationibus destruantur et per-eant; adeòque si rarâ linteorum dealbatione ex una parte sumptibus parcatur, ex altera resultat damnum non leve in linteis neglectis.

DE ABSOLUTIONE

JUXTA

RITUALE LEODIENSE.

QUAMVIS conveniat ut, celebratâ missâ juxta usum Romanum, juxta eundem fiat cæremonia absolutionis, et pariter celebratâ missâ secundum usum ecclesiæ Leodiensis, juxta rituale hujus ecclesiæ mortui sepeliantur; tamen cùm omnes passim, etiam ii, qui ritum Romanum sequuntur, rituali Leodiensi utantur ad absolutionem mortuorum, non abs re omninò erit, si hic adjungantur rubricæ particulares hujus ritualis. Hoc autem eò facilius, eòque tutius præstabimus, quòd anno 1769 prodierit corpus rubricarum ecclesiæ Leodiensis, utriusque cleri consensu recognitum et ab episcopo approbatum, in quo ad satietatem explanantur omnia quæ juxta usum Leodiensem spectant ad mortuorum sepulturam, et è quo opere eò magis liberè haurimus, quòd operam illi dederimus, saltem parti quæ inscribitur *Ordo celebrandi missam juxta ritum ecclesiæ Leodiensis*. Reliquum est alterius scriptoris. Porrò in dicto ordine P. II, n. XXX, sequentia statuuntur.


« Inprimis corpora sacerdotum sic locari debent in ecclesia, ut caput sit versùs altare,

» pedes verò versùs fundum ecclesiæ, è contrà
 » laïcorum, et aliorum qui non sunt sacerdo-
 » tes, caput respicere debet fundum ecclesiæ et
 » pedes altare. Pariter absente corpore, castrum
 » doloris sic erigi debet, ut figuret caput sa-
 » cerdotum versùs altare, et aliorum versùs portam
 » seu ecclesiæ fundum. Hoc posito :

» Celebrans post missam, depositis casulâ et
 » manipulo, induitur pluviali coloris nigri, et,
 » præcedentibus acolythis, quorum medius fert
 » crucem, imagine versâ ad celebrantem; alter
 » vas aquæ benedictæ, et tertius thuribulum
 » et naviculam, procedit, capite tecto et mani-
 » bus junctis, habens à dextris diaconum, et
 » à sinistris subdiaconum, ac retrò presbyterum
 » assistentem, seque sistit ad caput reale vel
 » figuratum defuncti : hinc imprimis, si defun-
 » ctus fuerit sacerdos, se locat inter feretrum
 » et altare; crucifer verò ad pedes inter tumu-
 » lum et portam seu fundum ecclesiæ, relin-
 » quens inter se et tumulum, pro transitu ab-
 » solventis, spatium quinque circiter pedum,
 » et ita sustinens crucem, ut imago respiciat
 » celebrantem.

» Absolvens igitur, in casu defuncti sacer-
 » dotis, ut suprâ constitutus, et inter diaco-
 » num et subdiaconum medius detegit caput;
 » birretumque tradit diacono, qui mox illud
 » acolytho dimittit; tum librum sustinente pre-
 » sbytero assistente ambabus manibus ad instar
 » pulpiti, absolvens, manibus junctis, voce in-
 » telligibili recitat orationem, *non intres in judi-*
 » *cium*, etc., quâ finitâ, recipit ab acolytho thu-

- » ribulum fumigans (1), et factâ cruci profundâ
 » corporis reverentiâ, thuriferario tenente fim-
 » briam anteriorem pluvialis, discedit procedens
 » coram diacono, et ter incensat latus dextrum
 » feretri, semel et quidem simplici, seu jactu
 » minimè duplicato thuribuli, ad caput, semel
 » in medio, et semel ad pedes, ut notatur in
 » tabula hîc adjuncta. Transiens autem ante cru-



- » cem, se ei profundè inclinât, et deindè ter
 » incensat aliud latus, scilicet ad pedes, in me-
 » dio, et ad caput, ut n. 4, 5 et 6. Interea,
 » presbytero assistente librum sustinente, dia-
 » conus legit responsorium *subvenite* usque ad
 » versum, quo per subdiaconum recitato, diaco-
 » nus repetit *subvenite* ad versum usque.

- » Absolvens post feretri incensationem redux
 » ad locum dimittit thuribulum acolytho, et
 » presbytero assistente, ut suprâ librum tenente,
 » dicit voce intelligibili et manibus junctis *kyrie*
 » *eleïson* et alia, ut in rituali, usque ad oratio-
 » nem inclusivè.

(1) Acolythi est thus infundere in vasculum thuribuli, nec illud sacerdos benedicit.

« Post orationem , absolvens incensat ut priùs
 » feretrum , et ministri alternatim recitant respon-
 » sorium *qui Lazarum*. Reversus ad locum , re-
 » spondentibus ministris , dicit *kyrie eleïson* , et alia
 » usque ad orationem inclusivè , quâ finitâ , incipit
 » absolvens responsorium *libera* usque ad versum ,
 » et hoc lecto à ministris , repetit *libera* iterùm
 » ad versum usque , deindè prosequitur *kyrie* , pre-
 » ces et orationem.

» Nota hic diligenter 1.º bis tantùm esse thuri-
 » ficandum feretrum , nempè sub primo respon-
 » sorio *subvenite* , et sub secundo *qui Lazarum* ;
 » idque absque prævia vel subsequente illius asper-
 » sione : 2.º ante et post thurificationem caput
 » non esse feretro inclinandum : 3.º non esse hæ-
 » rendum infra tumuli incensationem , hoc est ,
 » quòd absolvens incedendo thurificet , et thurifi-
 » cando incedat.

» Finitis *libera* et sequentibus , absolvens ter
 » aspergit feretrum , scilicet in medio , à dextris et
 » à sinistris , dicens *requiescat in pace*. Si corpus non
 » sit præsens , aspergit deindè ministros , et di-
 » misso inter manus diaconi aspersorio , assumptâ-
 » que ex eo aquâ lustrali , quacum linit frontem
 » perficiens tacitè signum crucis , coöpertus , or-
 » dine quo venerat , redit in sacristiam. Diaconus
 » autem , acolytho aquam benedictam deportante ,
 » aspergit adstantes.

» Si corpus defuncti sit humandum , asperso
 » sub *requiescat in pace* tumulo , defertur ad lo-
 » cum sepulturæ , et celebrans sequens corpus
 » recitat voce intelligibili antiphonam *in para-
 » disum*. Dum pervenit ad locum sepulturæ , se
 » locat ad caput defuncti , et crucifer juxta ipsius

» dexteram, sed parùm retrò : dimisso autem
 » in terram corpore, absolvens dicit : *hodie sit*
 » *in pace locus tuus*, etc. et interea ter aspergit
 » locum sepulturæ, primò circa caput defuncti,
 » secundò circa medium corporis, et tertio circa
 » pedes. Assumptâ deindè cruce, cum extremi-
 » tate baculi illius format tres cruces, primam
 » supra caput loculi, dicens : *signo corpus hoc*
 » *signaculo sanctæ crucis*; secundam in medio
 » loculi, dicens : *ut in die judicii resurgat*, et
 » tertiam super pedes, addens : *et vitam æter-*
 » *nam possideat*. Tum dimittit crucem, et trans-
 » portatur ad pedes defuncti ex adverso absol-
 » ventis. Cruce dimissâ, sacerdos accipit ligonem
 » seu simile instrumentum, quocum terram ter
 » immittit in loculum, primâ vice dicens : *de*
 » *terra plasmasti eum*, secundâ, *ossibus et nervis*
 » *compegisti eum*, et tertiâ, *Domine, resuscita eum*
 » *in novissimo die*. Legit postea preces ut in rituali,
 » quibus finitis, ter aquâ benedictâ aspergit sepul-
 » chrum, in capite, in medio et in pedibus, di-
 » cens : *rore cœlesti*, etc.

» Si absolutio cadat in laicum aut alium, qui
 » non sit sacerdos, crucifer se locat inter fere-
 » trum et altare, absolvens verò ad caput ex
 » adverso, statimque ut locum tenet, profundè
 » se cruci inclinât; deindè recitatâ oratione,
 » *non intres in judicium*, recipit thuribulum,
 » et renovatâ, ut priùs, ad crucem reverentiâ,
 » discedit per suam dextram, et feretrum incen-
 » sat, ut suprâ dictum est, notando quòd transiens
 » ante crucem, debeat se profundè coram illa in-
 » clinare. Eodem modo perficit secundam thurifi-
 » cationem.

» Pro coronide hujus materiæ observa : 1.º quòd
 » si corpus sepeliatur in templo , caput sacerdotis
 » defuncti deponi debeat versùs altare , aliorum
 » verò versùs fundum ecclesiæ. 2.º Quòd infra
 » transportationem cadaveris è domo ad templum ,
 » et è templo ad locum sepulturæ , pedes debeant
 » semper præcedere , sive fuerit sacerdos , sive
 » laïcus. 3.º Quòd corpora laïcorum , cujusvis sint
 » dignitatis , sint deportanda à laïcis (1).

» Post anniversaria , si absolutio fiat supra tum-
 » bam , finitâ missâ procedunt ad eam celebrans
 » et ministri , præcedentibus acolytho cum cruce ,
 » et alio cum aqua benedicta , ibique recitant pre-
 » ces ut in rituali , sed omissâ incensatione : his
 » absolutis , celebrans aspergit tumbam et mi-
 » nistros ; tradit deindè aspersorium diacono vel
 » presbytero assistenti , et ex eo assumptâ aquâ
 » benedictâ , redit in sacristiam ; diaconus verò
 » vel presbyter assistens , more solito , adstantes
 » aspergit. Quando non itur ad tumbam , absolu-
 » tio fit ad aquilam , seu legile , non autem in
 » presbyterio. »

Superest ut notetur , eos , qui officium et missas
 celebrant secundùm ordinem Romanum , si ab-
 solutionem faciunt cum rituali Leodiensi , negle-
 cto usu Romano , teneri cæremonias observare ,
 prout declarantur in dicto rituali et explicantur
 in loco suprâ citato. Quòd si modica in his adhuc

« (1) In ecclesiis minoribus ubi deest ministrorum copia ,
 » quando non adest aliquis albâ aut superpelliceo paratus ,
 » subdiaconus ferat crucem , diaconus verò librum susti-
 » neat , et absolventem comitetur infra incensationem ; post
 » quam , si chorus non cantaverit responsorium , absolvens
 » et diaconus alternatim illud recitant. »

desint, suppleri poterunt ex rituali Romano, et ex iis quæ diximus de absolutione juxta dictum rituale Romanum. Insuper adverti debet in forma superiùs descripta absolutionis præscribi, ut responsoria legant ministri; et id, quia à choro infra absolutionem communiter cantatur psalmus *miserere*: sed conformiùs ad mentem ritualis hæc responsoria sunt à choro sub absolutione cantanda, et ideò sunt in dicto rituali in cantu notata. Tandem reflecti meretur tria necessariò intervenire ad absolutionis solemnitatem: nempè lumen, tñus et cantum; ad quod advertere velim nonnullos qui cadavera pauperum sine thure, sine cantu, et forsàn sine lumine in terram deponunt.

FINIS SECUNDI TOMI.

INDEX

ARTICULORUM

QUI IN SECUNDO TOMO CONTINENTUR.

	Pag.
OBSERVATIO <i>generalis supra actiones celebrantis et ministrorum; infra missam solemnem.</i>	5

PARS PRIMA.

DE OFFICIO SUBDIACONI.

ARTICULUS I. <i>De vestitu usque ad egressum è sacristia.</i>	9
ART. II. <i>De egressu è sacristia usque ad ascensum ad altare.</i>	12
ART. III. <i>De ascensu ad altare usque ad orationes.</i>	17
ART. IV. <i>De orationibus usque ad symbolum.</i>	22
ART. V. <i>De symbolo usque ad orationem dominicam.</i>	29
ART. VI. <i>De oratione dominica usque ad communionem inclusivè.</i>	37
ART. VII. <i>De reliquis ad subdiaconum spectantibus.</i>	41

PARS SECUNDA.

DE OFFICIO DIACONI.

ARTICULUS I. <i>De vestitu diaconi, et aliis usque ad ingressum ad altare.</i>	46
ART. II. <i>De egressu è sacristia usque ad symbolum.</i>	51
ART. III. <i>De symbolo usque ad canonem.</i>	56
ART. IV. <i>De canone usque ad finem orationis dominicæ.</i>	62
ART. V. <i>A fine orationis dominicæ usque ad finem.</i>	64

PARS TERTIA.

DE OFFICIO SACERDOTIS IN MISSA SOLEMNI ET ALIIS SPECTANTIBUS AD MINISTROS.

ARTICULUS I. <i>De officio celebrantis infra missam solemnem absque expositione SS. Sacramenti.</i>	72
ART. II. <i>De missa solemni exposito SS. Sacramento.</i>	98
ART. III. <i>De missa solemni pro defunctis.</i>	105
ART. IV. <i>De absolute juxta usum Romanum.</i>	107
ART. V. <i>De officio presbyteri assistantis, et quibusdam spectantibus ad ministros, dum adest presbyter assistens.</i>	116

Appendix de requisitis ad sacrificii celebrationem.

<i>De altari.</i>	123
<i>De mappis.</i>	128
<i>De pallio altaris.</i>	129
<i>De cruce altaris.</i>	ibid.
<i>De lumine.</i>	131
<i>De missali.</i>	132
<i>De calice et illius ornamentis.</i>	133

De paramentis sacris.

<i>De amictu.</i>	139
<i>De alba.</i>	140
<i>De cingulo.</i>	142
<i>De manipulo.</i>	ibid.
<i>De stola.</i>	144
<i>De casula.</i>	148
<i>De dalmatica.</i>	ibid.
<i>De birreto.</i>	150
<i>De iis , ad quos spectat benedictio sacrarum vestium , et reliquis ad præsentem materiam pertinentibus.</i>	151
<i>De munditie S. supellectilis.</i>	152
<i>De absolutione juxta rituale Leodiense.</i>	154

FINIS.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM MAGIS NOTABILIVM IN DUOBUS TOMIS CONTENTARVM.

Numerus Romanus designat tomum , Arabicus autem paginam.

A

ABBATES non possunt consecrare calices pro ecclesiis sibi non subditis. II. p. 134. *Iidem*, et superiores regulares non possunt benedicere vestes sacerdotales pro ecclesiis extraneis. *Ibidem*. p. 151.

Absolutio super mortuos juxta ritum Romanum. II. p. 107 et seq. Juxta ritum Leodiensem. *Ibid.* p. 154 et seq.

Alba : varia illius ornamenta. Vestis olim communis laïcis. Illius antiquitas. Olim portata extra actum ministerii. Quando hic usus desiit? Quid nunc et quid significat? II. p. 140 et seq.

Alleluia addendum missis tempore paschali, et ubi. I. p. 13 et seq.

Altari : in privilegiato pro defunctis, quid requiratur ad valorem indulgentiæ? I. p. 52 et seq. Debet esse lapideum et consecratum. II. p. 125 et seq. In quibus casibus profanetur? II. p. 127 et seq.

Amictus : undè sic dictus? quomodò olim induebatur? quid sit, et quæ illius significatio? II. p. 139 et seq.

Anniversaria: quibus diebus cantari possint? I. p. 46. Impedita quando dici debeant? *Ibid.* Quid per anniversarium intelligatur. *Ibid.* Quænam missæ fundatæ gaudeant jure anniversarii? *Ibid.* Vide *missa*.

Antependium: cujus coloris? quando mutandum? casus ubi non requiritur II. p. 129.

B

Benedicamus Domino quando in missa ponendum loco *Ite, missa est*? I. p. 29.

Benedictio cum SS. Sacramento quomodò danda? I. p. 59. Non danda sub his verbis: *sit et benedictio*. I. p. *Ibid.* Quomodò danda cum reliquia SS. crucis? I. p. 61. *Benedictio* dari non debet post distributionem Eucharistiæ cum pyxide. I. p. 132. Quando cum manu benedicendus sit populus post datam communionem et quâ formulâ? I. p. 133 et seq.

Birretum: eo tegi debet celebrans eundo ad altare. I. p. 79. Pariter ab eo rediens. I. p. 146. Quomodò capiti sit imponendum, et ab illo removendum? II. p. 150. Quid de birreto, exposito SS. Sacramento? I. p. 148.

Bursa: cujus panni esse debeat? II. p. 136 et seq. Quomodò super calicem locanda? I. p. 142 et II. p. 42. Nihil ponendum supra bursam, tam eundo, quàm redeundo ab altari. I. p. 80.

C

CADAVER: juxta ritum Romanum in quo situ, sub exequiis, et sub absoluteione sit constituendum? Quo situ inhumandum in ecclesia. II. p. 107 et seq. Quo situ sit portandum et à quibus? II. p. 116. Eadem referuntur juxta ritum Leodiensem. II. p. 154 et seq.

Calix deferendus est ab ipso celebrante. I. p. 80 et seq. Ex qua materia confici debeat? II. p. 133. Intus debet esse inauratus. *Ibid.* Debet esse ab episcopo consecratus. II. p. 134. Quando calix profanetur? *Ibid.* A quibus tangi possit? II. p. 138. Quæ sint vestes calicis? II. p. 136.

Candelæ quot in missa privata accendi possint. II. p. 131 et 150 in not.

Capella, vide *oratorium*.

Capellanus monialium quomodo se gerere debeat in celebratione missarum? I. p. 67.

Casula: quid olim? communis clericis et laïcis. Illius significatio. Ex qua materia conficienda? II. p. 146 et seq.

Ciborium quando et quomodo purificandum? I. p. 136 et seq. Benedicendum et à quo? II. p. 138. Post usum non tangendum à laïcis. *Ibid.*

Cingulum: quare adhibitum? olim pretiosum. Ex qua materia confici possit? Quid significet? II. p. 142.

Cochlear calicis. An benedicendum? et quâ formâ. II. p. 137.

Collare, requiritur ad missæ celebrationem. I. p. 76 in not. I.

Collecta, vide *oratio*.

Color paramentorum quotuplex? Illorum usus, et ratio diversitatis. I. p. 62 et seq. Quid de colore aureo? I. p. 65. Quomodo se gerere debeat celebrans in ecclesia, ubi habetur diversus à colore sui officii? I. p. 65 et seq. In ecclesia ubi fit de duplici non potest concedi adventantibus color diversus à colore ipsius ecclesiæ. I. p. 65.

Communicantes proprium dicendum in missis votivis. I. p. 41.

Communio non danda ex hostiis præconsecratis cum paramentis nigris; nec benedictio. I. p. 135.

Corporale quomodò plicandum? I. p. 83. Cujus amplitudinis esse oporteat? I. p. 97, vid. not. 2. Cujus materiae? II. p. 136. Benedici debet ante usum. *Ibidem*, p. 137.

Crux necessaria ad celebrationem et qualis? II. p. 129. An necessaria exposito SS. Sacramento? II. *Ibid.* et seq. Vid. *signum crucis*.

D

DALMATICA : quare sic dicta? origo illius. Vestis lætitiæ. II. p. 148 et seq.

Diaconatus quando institutus? quænam illius materia et forma? an verum Sacramentum? II. p. 46 et seq.

Diaconus : vocis etymologia et illius officia. II. p. 46 et 47. Debet habere notitiam missalis. II. p. 48. Quomodò olim stolam portârit? II. p. 48. Quare dicat : *munda cor meum*, et petat benedictionem? II. p. 53 et seq. Quare librum portet ante pectus? II. p. 54. Quare oblationem calicis faciat cum celebrante? II. p. 59 et seq. Quare casulam elevet? II. p. 63 et seq. Quare et quomodò osculetur manum celebrantis et instrumenta? II. p. 75. Quare non dicat cum celebrante : *Domine, non sum dignus*? II. p. 66. Quare cantet *ite, missa est*? II. p. 70. Regula generalis, quam servare tenetur diaconus ministrans. II. p. 5. Quando tenetur caput inclinare cum celebrante? II. p. 7 et seq. Quid inclinatio et quotuplex? I. p. 53 et seq. Tenetur caput inclinare accedens, vel recedens è medio altaris absque genuflexione. II. p. 22. Non tenetur respondere celebranti, choro respondente. *Ibid.* Quomodò se gerere debeat, quando habetur sessio infra missam? II. p. 20 et seq. Quomodò quando thus imponitur? II. p. 74 et seq. Quomodò sub incensatione ad introïtum? II. p. 86 et seq. Quomodò ad evangelium? II.

p. 89 et seq. Quomodò ad offertorium? II. p. 93 et seq. Quomodò sub sessione infra symbolum? II. p. 57 et seq. Quid agendum ei, exposito SS. Sacramento? II. p. 98 et seq. Quid infra missam de *requiem*? II. p. 103 et seq. Quid infra absolutionem ritu Romano? II. p. 107 et seq. Quid sub usu Leodiensi? II. p. 154. Quid adstante presbytero assistente? II. p. 116 et seq.

E

EPISTOLA olim à celebrante non legebatur. II. p. 86, vid. not. I.

Evangelium olim à celebrante non legebatur, et cur jam legatur? *Ibid.* *Evangelium S. Joannis* quando in missa ponendum? I. p. 28. Explicantur cæremoniæ, quibus cantatur evangelium. II. p. 90, vid. not. I.

Eucharistia. Quando et quomodò renovanda? I. p. 136 et seq. Vide *communio*.

Exequiæ quibus diebus cantari possunt? I. p. 44 et seq. Quæ missa in illis legenda? I. p. 42. In die depositionis una tantùm missa cantari potest. I. p. 45 et seq. In exequiis parvulorum in triduo hebdomadæ sanctæ omitti potest *gloria Patri*, etc. I. p. 53. Vide *missa*.

Extensio manuum quomodò facienda? I. p. 61.

F

FESTUM votivum SS. Sacramenti. Vide *Theophèria*. *Flectamus genua*: sub illis verbis non flectit celebrans in missa solemni. II. p. 19. In missis privatis flectere debet. I. p. 89. Quomodò cantandum à diacono? II. p. 19.]

G

GENUFLEXIO quomodò faciendà? I. p. 56. Quando uno genu, quando duobus? *Ibid.* Celebrans tenetur flectere, quando infra missam pyxis extrahitur. I. p. 147 et seq. Arguendi, qui infra missam non flectunt usque ad terram. I. p. 148 et seq.

Graduale, quando in missa ponendum? I. p. 21 et seq.

H

HOSTIA semper locanda in eodem loco corporalis. I. p. 83. Hostiæ consecrandæ ubi locari debeant? I. p. 98. Debent in altari adesse ante offertorium. *Ibid.* et seq. In casu gravis necessitatis admitti possunt ante inceptum canonem. *Ibid.* 99. Non sunt distribuendæ ante communionem celebrantis. I. p. 130 et seq. Observatio circa fractionem hostiæ. I. p. 121 et seq.

Hymnus angelicus quando legendus in missa de die? I. p. 13. Quando in missis votivis? I. p. 35. Quomodò sedendum sub illius cantu? II. p. 20 et seq. Non sedendum sub illo, exposito SS. Sacramento. II. p. 21 et seq.

J

JEJUNIUM requisitum ad missam et quale? casus, in quibus non jejuno licet celebrare. I. p. 75 et seq.

I

INCENSATIO altaris quomodò faciendà? II. p. 77 et seq. Rationes hujus cæremoniæ. II. p. 82 et seq. Incensatio post offertorium. II. p. 93 et seq. Crux

et SS. Sacramentum, ubi incensanda infra missam? II. p. 99 et seq. Exposito SS. Sacramento, sub incensatione nec manus celebrantis, nec thuribulum, nec cochlear osculanda. II. p. 100.

Incensum, vide *thus*.

Incessus infra missam qualis esse debeat. I. p. 62. Sub illo in altari vertendum totaliter latus ad illud. I. p. 84.

Inclinatio, quid et quotuplex? I. p. 53. et seq. Quando una præ alia exhibenda? *Ibid.* p. 54. Inclinatio versùs quid dirigenda? I. p. 55. Annotatio in inclinationem faciendam B. V. M. et Sanctis. I. p. 55 et seq. Corpore inclinatus non debet caput inclinare. I. p. 103. Celebrans inclinatus antequam flectat, vel se vertat ad populum, debet præviè se totaliter erigere. I. p. 90.

Indulgentiæ ut prosint defunctis, quænam missa legenda? I. p. 52 et seq.

Ite, missa est, quando in missa ponendum? I. p. 27 et seq. Quando et quomodò cantandum à diacono? II. p. 69 et seq.

Junctio manuum, quomodò facienda? I. p. 61. Ante signationem oblatores et aliorum, manus præviè jungi debent. I. p. 101.

L

LUMEN: duo cerei requirantur ad missam. II. p. 146. In missa privata duo tantùm, et non plures accendi possint. II. p. 131 et 150 in not. Qualis debeat esse color cereorum? II. p. 137. Quare lumen deferatur ad ingressum missæ solemnis? II. p. 76 in not. Quare ad evangelium? II. p. 90 in not.

Lunula remonstrantiæ benedicenda. A quo? post usum non tangenda à laïcis. II. p. 138.

M

MANIPULUS, quid olim? Undè sic dictus? et quid significet? II. p. 142 et seq.

Manus, quomodò jungendæ? I. p. 61 et seq. Quomodò extendendæ? I. p. 61. Quomodò deponendæ in altari ante consecrationem? I. p. 87. Quomodò post consecrationem? I. p. 112. Celebrans utens unâ manu, v. g. ad vertenda folia missalis, aliam debet deponere, et quomodò? I. p. 62. Manus sub salutatione populi, et ad *orate fratres* extendi tantùm debent, et jungi facie versâ ad populum. I. p. 91.

Mappæ tres in altari requiruntur. II. p. 128. Cujus materiæ. *Ibid.* Debent esse benedictæ. *Ibid.* Quando perdant suam benedictionem? *Ibid.*

Memento vivorum et mortuorum quando et quomodò faciendum? I. p. 107.

Ministri in mis. privata, quot adhiberi liceat. II. p. 150 in not.

Missa votiva quare sic dicta? I. p. 29. De quibus dici possint? *Ibid.* et seq. Quibus diebus legi possint, aut cantari? I. p. 29. Pro votiva quæ missa assumenda? I. p. 34 et seq. Missa aurea quid? I. p. 33 et seq. Quo die cantari possit? *Ibid.* Quæ assumenda? I. p. 34. Missæ de *requiem* quatuor, et quando una præ alia sit assumenda? I. p. 42. Quibus diebus dici possint? I. p. 43. Legi non possunt exposito SS. Sacramento ob publicam causam. I. p. 43 et seq. Variationes in missa de *requiem*. I. p. 47 et seq. In die 3.º 7.º 30.º quænam missa? et quibus diebus legi aut cantari possit? I. p. 47. Jure anniversarii perpetui quasi gaudet missa anniversaria à die obitûs. I. p. 50. In die commemorationis omnium defunctorum, quibus applicandus fructus [missæ? I. p. 50 et seq. De octavis in gratiam defunctorum. I. p. 51.

De altaribus privilegiatis pro defunctis. I. p. 52. Vide *anniversaria* et *exequiæ*.

Missale debet concordare cum officio celebrantis. II. p. 132. Ex causa assumi potest discors; servandus tamen ritus missalis proprii. *Ibid.* Casus, in quo quis potest se conformare ritibus extraneis. *Ibid.*

Mundities, quæ requiratur in linteis, paramentis, et supellectili? II. p. 152 et seq.

N

NATIVITAS Domini: quid agendum celebranti sub missis hujus diei? I. p. 139. Quid sub illis agendum ministris? II. p. 41 in not. 2.

O

OBITUS: quis dies illius censeatur? I. p. 49.

Octava pro defunctis non facienda sine indulto Pontificis. I. p. 51.

Oratio: una in duplicibus, quando plures et quæ? I. p. 14. Annotatio in orationes à *cunctis* et ad libitum. I. p. 16. Quando addi possit oratio pro defunctis? I. p. 18. In simplicibus et feriis addi possunt orationes et quot? *Ibid.* Oratio de Venerabili quando addenda? et quando unienda sub una conclusione? I. p. 18 et seq. Oratio præscripta ab episcopo quo loco legenda? I. p. 19. Quando omittenda? *Ib.* et seq. Oratio pro ipso sacerdote non addenda in primitiis, nec alia ratione professionis. I. p. 20. Orationes quomodo concludendæ? *Ibidem* et seq. Annotatio in orationem pro benedictione incensi *per intercessionem*, etc. et in *communicantes* octavæ Pentecostes. I. p. 27 in not. Quot Orationes, et quæ in missis votivis? I. p. 36 et seq.

Quando unienda oratio votivæ sub una conclusione cum collecta diei? I. p. 37 et seq. In missis defunctorum, quando una tantùm ponatur oratio? I. p. 50. Quando plures et quæ? I. p. 49. In oratione *Non intres* sub absoluteione pro defunctis nîl immutandum in casu mulieris. I. p. 52 et seq. Oratio super populum quomodò legenda? I. p. 143. Quomodò cantanda à diacono? II. p. 69.

Oratorium privatum: in illo una tantùm missa per diem legi potest. II. p. 125 et seq. In illo celebrari potest missa votiva, licèt in ecclesia fiat officium duplex. I. p. 68. Excipitur festum patroni loci. *Ibid.*

Osculum altaris ubi et quomodò practicandum. I. p. 87. Post illud quid agendum? *Ibid.* et seq. Osculum instrumentorum et manûs celebrantis quomodò practicandum? II. p. 75.

P

PALLA antiquitùs ignota. Quid sit? non ornanda in parte superiore. Quæ forma in illius benedictione? II. p. 135 et seq.

Pallum altaris, vide *antependium*.

Paramenta: quæ benedicenda? Qui habent potestatem illa benedicendi? An per usum benedicantur? Regulares tantùm possunt illa benedicere pro suis respectivè ecclesiis. Ubi sacerdos debeat illis se induere? II. p. 150 et seq. Quando profanantur? II. p. 152.

Passio ubi legenda in missis privatis? I. p. 194.

Patena: quanta olim fuerit? II. p. 32 in not. et seq. Quâ ratione minorata? Quare tollatur ex altari à subdiacono? *Ibid.* Patena debet esse aurea, vel argentea, sed in parte saltem concava inaurata. II. p. 133.

Patronus loci : quid per illum intelligatur? I. p. 24. Quandonam symbolum est ponendum in missa patroni, vel alia, quæ infra octavam illius celebratur? I. p. 23.

Pax sine inclinatione est danda. II. p. 37 et seq.

Planeta, vide *casula*.

Præfatio : quænam legenda in missa de die? I. p. 26. Quænam in missis votivis. I. p. 35 et seq.

Preces, ex fundatione post missam recitandæ, non possunt dici ad altare. I. p. 147.

Prophetiæ quomodò legendæ in missa privata? I. p. 89. Quomodò in missa solemni? II. p. 19.

Prosa, quotuplex in usu? I. p. 22. Quando legenda? *Ibidem*. *Prosa dies iræ*, quando dicenda in missis defunctorum? I. p. 49 et seq. *Prosa SS. nominis Jesu à solis patribus Minoritis* legenda. I. p. 22.

Purificatio secunda calicis fieri debet vino et aquâ. I. p. 141. *Purificatio sacræ pyxididis*. Vide *ciborium*.

Purificatorium ex quo confici debeat? An benedicendum? et quâ formâ? II. p. 135.

Pyxis, vide *ciborium*.

R

REGULA generalis pro inclinationibus faciendis in medio altaris. I. p. 82 et seq. Pro incessu intrâ altare. I. p. 84. Pro corpore componenda infra missam. I. p. 85. Dum celebrans se vertit ad populum. I. p. 87 et seq. Ad formanda signa crucis. I. p. 101 et seq. Pro ministris sub missa solemni. II. p. 5 et seq.

Regularis deserviens parochiam debet se conformare quoad missas ritui illius ecclesiæ. I. p. 68.

Reliquia SS. crucis exposita, est genuflexione colenda. I. p. 82. Quid agendum celebranti expositâ hâc reliquiâ? I. p. 150. Quid observandum sub in-

censatione infra missam, si sit exposita? II. p. 83 et seq. Quid de benedictione cum SS. cruce, et illius prævia incensatione? I. p. 61.

Remonstrantia laudabiliter benedicenda. II. p. 138. Convenit ut non tangatur à laïcis. *Ibid.*

S

SACELLUM privatum, vide *oratorium*.

Sacrificium: quantum temporis requiratur ad illius celebrationem? I. p. 69 et seq. Quid agendum celebranti, dum pyxis ab alio extrahitur? I. 147 et seq. Quibus fructus sit applicandus in die commemorationis omnium defunctorum? I. p. 50 et seq.

Sepulchrum, quando benedicendum infra absolutionem? II. p. 113 et seq.

Signum crucis: quomodo supra se formandum? I. p. 56 et seq. Quomodo liber signandus ad evangelium et ipse celebrans? I. p. 57 et seq. Quomodo oblata ante et post consecrationem? I. p. 58. A quo desumitur longitudo linearum crucis? *Ibid.* et seq. Quomodo crux formanda super populum cum manu vel SS. Sacramento? I. p. 59 et seq. Quid observandum, quando populus benedicitur cum reliquia SS. Crucis? I. p. 61. Annotatio circa modum formandi cruces. I. p. 101. Signa crucis ante consecrationem quâ ratione differant ab iis quæ fiunt post consecrationem? I. p. 115 in not.

Species sacræ, quando renovandæ? I. p. 136 et seq.

Stola: quid olim? antiquitus delata extra ministerium. Modus diversus illam portandi. Quid significet? II. p. 144 et seq.

Subdiaconatus, quando institutus? II. p. 9.

Subdiaconus: an teneatur respondere celebranti, choro respondente? II. p. 22 in not. Quando epistolam cœperit cantare ex officio? II. p. 23 in not. Quare flectat post epistolam, manum celebrantis osculatur,

et benedicetur? II. 24. Quare patenam sustineat? II. p. 32 et seq. Quare non in missis de *requiem*? II. p. 32. Caput tenetur inclinare cum celebrante. II. p. 7 et seq. Quid inclinatio et quotuplex? I. p. 53 et seq. Tenetur caput inclinare recedens è medio altaris, vel accedens ad illud sine genuflexione. II. p. 22. Quomodò se gerere debeat, si sessio debeat sub Hymno angelico? II. p. 19 et seq. Dum altare incensatur, ante introitum? II. p. 77 et seq. Ad offertorium? II. p. 93 et seq. Quomodò se gerere debeat exposito SS. Sacramento? II. p. 98 et seq. Quomodò adstante presbytero assistente? II. p. 116 et seq. Quomodò infra absolutionem Romanam? II. p. 107 et seq. Infra Leodiensem? II. p. 154 et seq. Non potest sub missa legere breviarium, nec alias orationes. II. p. 8. Quomodò calicem tractare debeat in die Nativitatis Domini? II. p. 41 in not. 2. Quare non dicat *Domine, non sum dignus* cum celebrante? II. p. 66.

Symbolum, quando legendum in missa diei? I. p. 22 et seq. Quando in votiva? I. p. 39. Integrè cantandum à choro. II. p. 92 in not. Si sub illo habeatur sessio, quomodò se gerendum? *Ibid.*

T

TEMPUS impendendum in celebratione missæ. I. p. 69 et seq.

Textus sacer, quando signandus ad evangelium? I. p. 93. Semper signandus exposito SS. Sacramento. I. p. 149 et seq.

Theophoria: in ea cantari non potest missa votiva SS. Sacramenti in dominicis et festis duplicibus nec ejusdem officium legi potest. I. p. 33.

Thurificatio, vide *incensatio*.

Thus quid? II. p. 76 in not. Quæ illius origo? et quæ sit ratio usûs illius in ecclesia? *Ibidem*. Quando

benedicendum? II. p. 83 et seq. Annotatio in formam benedictionis illius ad offertorium. II. p. 96 in not. et seq.

Tobalea, vide *mappa*.

Tunicella quid? II. p. 148.

V

VASA debent esse munda, et quomodò mundanda? II. p. 152 et seq.

Velum calicis ex qua materia confici debeat? et an benedicendum? II. p. 136.

Vestes sacræ, vide *paramenta*.

Vestis talaris requiritur ad celebrandum. I. p. 75 et seq.

Vinum, quale esse debeat ad missam? I. p. 99.

Vox, quæ adhibenda in missa privata? I. p. 154 et seq. Quæ in solemnibus? II. p. 72 et seq.

FINIS.

APPROBATIO CENSORIS.

RUBRICÆ missalis Romani tamquam regula prima et immediata omnium sacrorum rituum, cæterorumque in celebratione missæ occurrentium considerari debent: quia verò sacerdos non habet illas ad manum, ut rubricas de breviario, ideò fortè contingit quòd illæ rariùs, quàm oportet, inspiciantur; in iisdem quoque varia ex variis capitibus occurrunt dubia, in quibus juniores præsertim sæpiùs cespitant, quæ proindè dilucidatione aliquâ indigent: varia desuper hodièdum in lucem venerunt sacræ rituum congregationis decreta, multis incognita et tamen scitu valdè utilia, quibus sacerdotes, ut debitè missam celebrent, sese conformare oportet: hæc autem omnia si in manuum libellum redacta sacerdos quotidie penes se haberet debitè enucleata et ad captum clarè propòsita, utilissimam ei, quin et necessariam ac quidem modo faciliter acquisibili, causarent scientiam et eruditionem: hinc reverendus dominus Tossanus Jos. Romsee, presbyter et sacrorum rituum in seminario episcopali hujus diœcesis professor, ab iis, *Qui filiorum Ecclesiæ pietatem et divinum cultum, sacris ritibus et cæremoniis conservandis, instaurandisque cum Sixto ejus nominis Papâ V. fel. rec. augere cupiunt*, motus et animatus, hujusmodi decreta saltem recentiora in unum collegit, sub titulo: *Praxis celebrandi missam, juxta ritum Romanum*, etc. Habebunt itaque presbyterandi, quod pedetentim addiscant, et quo se ad præcipuum sacerdotis munus, angelicis tremendum humeris, exactè omni vitæ suæ tempore exequendum cum otio præparent. Juniores quoque sacerdotes colligent, quo se in missæ ritibus plenè perficiant ac perfectè erudiant, et è gravio-

ribus difficultatibus et involutis casibus se debite extricent ; proveciores similiter presbyteri inveniunt quo memoriam in omnibus (quod quandoque est necessarium) refricare valeant, et defectus, si quos hactenus forte commiserint, imposterum emendent : verbo, hunc libellum, ut generalis habeatur observantia, ac una et eadem servetur uniformitas, perutilem fore censeo. Leodii, 17. Februarii 1762.

J. DEHARE, *Examinator Synodalis.*

APPROBATIO.

LEGI librum, cui titulus: *Praxis celebrandi missam, tum privatam, tum solemnem, juxta ritum Romanum*, nec quidquam inveni fidei aut moribus adversum: illum è contrà singulis cujusque ordinis in mystico Christi corpore ministris è magis utilem, magisque necessarium censeo, quòd in illo tamquam in speculo aspicientes omnia et singula, quæ in suo respective ministerio observare debent, clarâ methodo exposita, aptè et congruè distincta ita patent, ut nihil in obscuro remaneat, sed omnia in luce clarescant. Datum Leodii, hâc 17. Augusti 1770.

T. B. MAHOIR, *Examin. Synod.*

LEGI librum, cui titulus: *Praxis celebrandi missam, tum privatam, tum solemnem*, etc., cum additis quibusdam annotationibus. Hoc opus ita comprobatur communi suffragio ex iteratis jam pluries et desideratis editionibus, ut ulteriori censurâ nequaquam sit opus. Dabam Leodii, hâc 13. Junii 1778.

H. N. MASSIN, *Pastor Sti Michaëlis,*
Exam. Synod.

PERMISSIO.

PERMITTIMUS reimpressionem. Leodii, hâc 5â Aprilis 1817.

J. A. BARRETT, *Vic. Gen.*

APPROBATIO.

PUBLICARI permittimus typographo nostro
P.-J. HANICQ.

Datum Mechliniæ 4, Feb. 1830.

J. FORGEUR, *Vic. Gen.*

TABELLA DIRECTORIA

PRO MISSIS VOTIVIS, OB CAUSAM PRIVATAM CELEBR.

VOTIVA.	MISSA.	GLORIA.	ORATIONES.	CREDO.	PREFATIO.	BENEDI.
De ss. Trinitate.	Propria.	Omitt.	1. Votiv., 2. Offic. 3. quæ 2. loco dici debet in Missa diei	Omitt.	Propria.	Benedic.
De s. Spiritu.	Propria.	Omitt.	1. Votive, 2. Officii, 3. quæ 2. loco etc.	Omitt.	Propria.	Benedic.
De ss. Sacramento.	Propria.	Omitt.	1. Votive, 2. Officii, 3. quæ 2. loco etc.	Omitt.	De Nativitate.	Benedic.
De s. Passione.	Propria.	Omitt.	1. Votive, 2. Officii, 3. quæ 2. loco etc.	Omitt.	De Cruce.	Benedic.
De s. Cruce.	Propria.	Omitt.	1. Votive, 2. Officii, 3. quæ 2. loco etc.	Omitt.	De Cruce.	Bened.
De B. Maria.	Propria.	Omitt. extra Sabbat.	1. Votiv., 2. Offic., 3. de Spiritu S. loco <i>A cunctis</i> .	Omitt.	Propria.	Bened. Sabbato ite.
De ss. Angelis.	Propria.	Dicitur.	1. Votive, 2. Officii, 3. quæ 2. loco etc.	Omitt.	Commun. vel de Tempore.	Ite.
De ss. Apostolis.	Propria.	Omitt.	1. Votiv., 2. Offic., 3. <i>Concede</i> loco <i>A cunctis</i> .	Omitt.	Propria.	Bened.
Pro quac. negessit.	Propria.	Omitt.	1. Votive, 2. Officii, 3. quæ 2. loco etc.	Omitt.	Commun. vel de Tempore.	Bened.
De s. Mart. De s. Conf. De s. Virg.	Propria vel de Commun.	Omitt. extra diem Obis.	1. Votive, 2. Officii, 3. quæ 2. loco etc.	Omitt.	Commun. vel de Tempore.	Bened.